



f. 1146013  
c. 71402586



R. 144748

PARVA POËMATA LATINA,

seu

LUDRICA LITTERARIA.



PARVA POËMATA LATINA,  
SEU  
LUDRICA LITTERARIA.

AUCTORE PRESBYTERO

*Raymundo del Busto Valdés,*

IN UTROQUE JURE LICENTIATO,

ac almâ in Ecclesiâ Cathedrali Legionensi

Canonico Decano.



VOLUMEN I.

Cum Ordinarii licentia.

PALENTIÆ:

TYPOG. ET LIB. ABUNDII Z. MENENDEZ

Majore principale, 70. Castaneoque 1 et 2.

1891

*Jura sibi et legum tutelam vindicat auctor,  
Edere qui rursus carmina quemque vetat.*



# PROCÆMIUM.



Non semel ad doctos, scitosque Palæmonis artis,  
Quos etiam memoro dilectos inter amicos,  
Accesi reverens, et more rogantis alumni,  
Proloquium poscens, quod tamquam nobile scutum,  
Istis carminibus tegmen præstaret et umbram.  
Nemo tamen clemens voluit conferre juvamen,  
Nec præbere meis munimen amabile metris:  
Ipsa malum fatum fortasse inhibere videtur!  
Imbecilla tamen per calles ire coacta,  
Viribus exiguis, et penè poëmata nuda,  
Usque manus vadunt ad doctas, et ferè amicas,  
In quibus, imprimis fidunt fore se excienda.  
Ter ferè composui centena poëmata parva,  
Quæ bonæ amicitiæ præsertim consecro et arti;  
Queis ego conflavi jam bina volumina plena,  
In quorum primo faustis ego de actibus ullis,  
Et quoque amicorum, grati solaminis ergo,  
Tristibus et moestis de rebus sæpius egi.  
Altero in ipsorum, variis de rebus agendo,  
Plura didascalico licuit mihi pangere metro.  
Edere nunc primum dumtaxat quæro volumen,  
Me quia non ultrà extendi sinit æs alienum.  
At si lectores placidi mihi fortè favebunt,  
Vel res prosperius forsäm mihi venerit exhinc,

Edere tunc dicto citius properabo secundum,  
Cantica dum totidem remanent abscondita in arcâ.  
Primò conspicuos homines celebrare, sophosque,  
Expedit, ac ipsis jucundam ferre salutem.  
Omnes sunt plausu digni vel laudibus æquis,  
Quotquot multiplici studiosè concino versu;  
Singuli at æquales meritis non herclè tenendi.  
Si de unoquoque elogium super omnia dixi,  
Nomen eorumdem summum super æthera ponens,  
Sivè panegyricum feci pro quoque seorsum,  
Ex hoc non sequitur, quod ego vel mentiar istic,  
Vel satiùs palper, saltemve assenter eisdem.  
Nil ego de magnis spero me fortè habiturum,  
Præter amicitiam, quam præstans æstimo donum.  
At quia cor gratum natura mihi dedit amplè,  
Vel quia doctrinas constanter percolo et artem,  
Laudibus extollo, et cum tantis plausibus omnes,  
Ut quisquam primus videatur in omnibus esse.  
Non ego blandiri soleo, neque hyperbole abutor;  
Sed quotquot laudo, laudari uteumquè merentur.  
Versibus hexametris passim mea ludrica finxi,  
Quos ferè pentametris quandòque Camœna ligavit.  
Sapphicus haud rarò permixtus adonico alacri,  
Quemque Asclepiades versus confecerat olim,  
Quemque Glycon quondam vates invenit acutus,  
Atque brevis dimeter, qui alias et jambicus extat,  
Efformant totum, quod nunc expromo, volumen.  
Sudore et lacrimis centenas scripsi elegias,  
In quibus extremas laudes dicendo virorum,  
Plura superstribus monstravi exempla imitanda.  
Prætereà feci exiguæ dulcedinis hymnos,  
Ut laudes etiam sanctorum concelebrarem,  
Atque precarer opem, vel dulce juvamen eorum.  
Tum ferè epistolia eximiis ego consecro amicis,  
Per quæ sœpè meos ipsis communico sensus,  
Seu verè utilibus de rebus tracto libenter.

Non scopus est alius mihi, quām benē versificare,  
Parnasique viam lectæ monstrare juventæ,  
Gaudia ut et mecum teneat peccaminis expers,  
Ac otium fugiat, vitiumque labore refrænet.  
Non aliis finis, quam pubis corda ciere,  
Pristina ut apprimè vatum vestigia prendens,  
Grammata tūm patriæ illustrent pariterque latina.  
Hæc mea do gratis præsertim carmina alumnis;  
Si finem forsām præfatum tangere possum,  
Vel si pergratum foret istud munus amicis,  
Omnia lucra mihi jamjam tenuisse videbor.







# NUNCUPATIO

AMPLISSIMIS VIRIS

Alexandro Pidal et Mon, ac Victori Balaguer,


HONORATISSIMIS ACADEMICIS, ETC., ETC.


S. P.

Carmina, quæ exili plectro, ut mera ludrica scripsi,  
Desidis ut fugerem metuenda pericula vitæ,  
Nunc, quasi grati animi argumentum, consecro vobis,  
¡Oh mei honorandi fautores atque patroni!  
Debita non egomet vobis persolvere conor;  
Futile namque meum munus fit prorsus inane,  
Cum vestros erga me magnos pendo favores.  
At vos, qui gratis agitis benefacta petenti,  
¿Num mihi tutelam fortassè negabitis unquam?  
Nominis en vestri sub scuto collocor ampio,  
Omnia comportans semper mea carmina mecum.  
Jus Mæcenatum vos exercere potestis....  
Ne mihi, nevè meis renuatis versibus umbram.

VESTER FAMULUS.

AUCTOR.





# AD SPIRITUM SANCTUM PARACLETUM

---


## INVOCATIO

---

**S**piritus alme Deus, sancte et supreme Magister;  
Cum Te contempnor mysteria summa docentem,  
Pectore magna meo in tristi dulcedo redundat,  
Quæ mihi lætitiam cum delectamine præbet.  
Tu Deus, es solus cordis solamen amicum;  
Totus es altus Amor, Tu solus dulce charisma.  
Invicem et æterno connexi mutuo amore,  
Se Pater et Natus deamant. Tu verè ab Utroque  
Sanctus ab æterno procedis, Spiritus alme.  
Tu vinclum tenerum; Tu amplexus fis Utriusque.  
Oscula et Utrique æterna, atque tenerrima reddis.  
Tu infinita quies animæ; pax perpes et ampla,  
Unio perfecta, et moestis solatia præstans,  
Es summum donum, donorum fonsque perennis,

Atque voluptatum sanctorum dulce fluentum.  
Tu mare inexhaustum mirae ducis extas;  
Tu pater es clemens inopum; cor lumine repletus;  
Gratiæ es omnipotens cunctæ largitor, et auctor.  
Hospes es excellens animarum Te venerantum.  
Tu infinitus Amor, sic de Omnipotente triunphas,  
Ut ferè justitiam vincas pietate superna  
Per Te de celo in terram descendere Natum  
Ipse Tuo Pater fecit compulsus amore,  
Liberi ut humani laqueis peccaminis essent,  
Et per Te fierent immunes, atque redempti.  
Tu sophiam confers aliis, dotesque supernas;  
Munera das aliis linguarum multiplicata.  
Per Te spirituum discretio recta quibusdam  
Redditur, ac aliis sanandi gratia gratis.  
Per Te sunt alii doctores atque magistri;  
Per Te sunt alii mentores, atque prophetæ:  
Omnia dona Tua ad libitum largiris eisdem.  
Æternas agimus grates Tibi, Spiritus alme,  
Nam per Te Verbi fuit Incarnatio facta;  
Atque Dei Genitrix super omnes sanctificata.  
Tu Æterni Natum, Vitam re et nomine dictum,  
Supplicium dirum pro nobis tristè subire  
Fecisti, oh peramans Deus! Excipe vota animarum,  
Quæ per Te Divi naturam participarunt,  
Et super innumera, ac immensa creata levantur.  
Tu sanctas animas, ut sponsas eligis altas;  
Pectora justorum sacras Tibi, ut inclyta templa,  
Gratus ubi remanes magno solamine eorum.  
Tu memorare facis Sanctos miracula Christi,  
Atque doces ipsos amplecti dogmata sacra.  
Tu solamen eis in poenis tristibus offers;  
Tuque Tuo gemitu non enarrabis ab Alto  
Pro nobis misericordia aeterna reposcis.  
Denique noster eris divinus Glorificator:  
Gloria Tu fies quoque confessoribus ultra,

Virgineisque choris fies diadema refulgens,  
Palmaque martyribus, sanctis, justisque corona.  
Et quod honoreris semper, Paraclete Supreme,  
Lætor et ex toto delector corde animaque.  
Oh Amor alme Dei, præsta ut Te semper amandum,  
Prorsus ego deamem, prout extas dignus amoris.  
Præsta, ut in exiguis, quos scribo, versibus istis,  
Nulla sit adversus divinum Dogma litura.  
Cuncta ego confiteor, quæ Ecclesia sancta fatetur;  
Omneque rejicio quod sancta Ecclesia damnat.  
Si quid præterea, justo moraliter obstans  
Conscripti, erado, vel deleo et arceo totum.  
Tu mihi, queso, fave, Paraclete oh Spiritus alme,  
Atque meum carmen sancto inspiramine dota.





# RATIO

HORUM LATINORUM CARMINUM



## CANDIDO LECTORI, EPISTOLA

Quamvis simplicitas longè a lectoribus absit,  
Maximè in hoc seculo *luminis* atque *doli*;  
Tu, bone mi lector, livoris liber et insons,  
Candidus et simplex, innocusque manes.  
LECTOREM memorant scriptores, atque salutant,  
Atque sophi, ut numen, cœlicolumvè colunt.  
Ejusdem nomen ponunt in fronte librorum,  
Ac veniam poscunt supplice voce ab eo.  
Sæpiùs ignotum LECTORIS nomen adorant,  
Ac ejus credunt, absque timore, fidem.  
Non semel e contrà nimis feritate potentem  
Multi ipsum reputant, atque verentur eum.  
Revera ignorant utrum sit CANDIDUS, annon;  
Cernere enim nequeunt cominùs ora lita.  
Ens nimis abstractum cum sit, vel spirituale,  
Affectus placidos, horrificosve parit.  
Hunc magno afficiunt odio, vel amore sequuntur,  
Namque ejus vultum nemo nitere videt.  
Ats ego te pulchrum meitor, dulcedine plenum,

Utpotè clara tui pectoris acta patent.  
Te benè cognosco, oh lector, virtutibus auctum,  
Altaque promeriti pondera penso tui.  
Te benè contemplor meritum, facieque venustum;  
Ridentem vultum suspicor esse tuum.  
Te mea proclamat ratio bonitate refertum,  
Teqæ meos inter mens mea dinumerat.  
Non alias habeo lectores, præter amicos;  
Me verè nunquam gens inimica legit.  
Quis nisi me deamans mea carmina ponet egena  
Ante suos oculos, liber ab invidia?  
Quis nisi vir sapiens, omni livore solutus,  
Cultor amicitiæ, metra latina leget?  
Quisve manu valet hos vacuos assumere versus,  
Ni vir qui ingenuis artibus ipse vacans,  
Sanctaue cum castis commercia habendo Camcenis,  
Nesciat invidiam, vimque laboris amet?  
Te minime idcirco formidine prosequor unquam;  
In te confido, fretus amore tuo.  
Plorabis mecum, vel mecum jubila habebis,  
Dùm res mæsticas, lætificasve legas.  
Rebus in adversis, aliasquè in sorte beata  
Affectus varios experiere quoquè.  
Discere nîl poteris, quia te nîl tento docere;  
Attamen edisces, quominus ipse velis,  
Quomodo cum studio recolatur lingua latina,  
Quamvis in nostro tempore muta jacet.  
Quomodo trux otium, quo nobis tanta parantur  
Damna, teri possit, totque pericla fugi.  
At si fortassis penetres mysteria mecum  
Dulcia, quæ latium fert idioma vetus;  
Si arcanum, plebi vetitum, reserare valebis,  
Quot donis poteris, deliciisque frui!  
Oh lingua heroum, quanta dulcedine abundas!  
Classica lingua virûm, mystica lingua Dei!...  
Tu sola æternæ loqueris mysteria vitæ:

Tu genus humanum nobilitare potes.  
 Absque tuo influxu natura absconsa sileret,  
     Et mirabilibus porrò careret homo.  
 Dulcibus absque notis latiis, oh, quomodò magnus  
     Virgilius caneret pascua, rura, Duce?  
 Quomodò tum nobis monumentum, firmius ære,  
     Romanus lyricus perpetue laude daret?  
 Quomodò nunc mundum cervantica lingua hilararet,  
     Ni priùs excellens lingua latina foret?  
 Magni ubinam nostri invenere fluenta poëtæ,  
     Qui magna Hesperiae dulce fuère decus?  
 Nostri ubinam vates spiramina sacra bibeant,  
     Ni in sacrâ linguâ quæ Ciceronis erat?  
 Undè sua hauserunt dulcissima flumina mellis  
     Vates, quos ætas aurea nostra dedit?  
 Præsignes ubinam, peperit quos Gallia, vates  
     Fortè invenerunt dulce idioma suum?  
 Quænam lingua--parens dederat modulamina Danti,  
     Ut digno caneret pectine gesta Dei?  
 Quem Lusitanus plenum dulcedine fontem  
     Quæsiit, ut replete nectare labra sua?  
 In linguâ tantum fontem reperere latinâ  
     Quiqui ad Parnassum digniùs ire volunt.  
 Huc quoque convenient vates non stirpe latinâ;  
     Huc veniunt hilares quotquot Apollo vocat.  
 Angli et teutonici vates et Russia culta  
     Sermoni latio maximo amore student.  
 Summa Dei includit magnalia sermo latinus;  
     Nam licet in terris non prior ipse fuit,  
 Divus eum voluit tanto ditare lepore,  
     Ac tot thesauris amplificare suis,  
 Ut sanctæ Ecclesiæ, quæ in toto extenditur orbe,  
     Ipsum, quo utatur tempus in omne daret.  
 Os Christi in mundo Romanus Papa vocatur....  
     Ergo latina Dei propria lingua viget.  
 Oh lingua insignis, pulcherrima forma poësis!

¡Non aliâ ¡oh! utinam leti in agone loquar!  
Attamen hasce meas, mi lector, parcito nugas,  
    Si tibi opus vanum, vel puerile sapit.  
Si sua quemque trahit, Romano teste, voluptas,  
    Desine, lector amans, me artis amore trahi.  
Si concinnanti versus hos artis amore,  
    Jam merces superest congrua abunde mihi,  
Perbenè contentus maneo; nihil amplius opto,  
    Atque a te veniam supplice voce peto.  
Quisquis vituperet mea carmina voce severâ,  
    Ista recordetur themata vera nimis:  
*«Res satis est facilis reprehendere metra latina;*  
*Ardua res verò condere ritè metra.*





# REGIUM ITER

SIVÈ

Regalis peregrinatio ad spectabile Sace-  
llum B. MARIÆ V. DE COVADONGA.

(1858) <sup>(1)</sup>



## QDE.

Principum res non solitus profari,  
Vix manu possum calamum tenere.  
Nam tremor nostros gelidus per omnes  
Cursitat artus.  
Maximas conor superare moles,  
Viribus nostris onus impar, atque  
Majus est; muse, precor, este nobis,  
Este benignæ.  
Pergite ut festum celebretis amplum,  
Atque cantetis meliore plectro;  
Tu, Clio, saltem modularē dulci  
Carmina voce.  
Astures fidī, qui avidi frequenter

---

(1) Primera composición del autor, no publicada.

Optimos Reges cupitis videre,  
Nunc quidem vestros oculos voluptas  
    Quit saturare.

Astures ergo celeres venite;  
Cantabri fortes, hilares adeste,  
Jubilo magno Elisabeth salutem  
    Ferte Secundæ.

Ecce quam dulcis, lepida et serena  
Nuper incessit populos in istos;  
Ecce quam bella et speciosa lustrat  
    Asturis agros.

En simul clarus graditurque Sponsus,  
Rex quoquè et dignè et merito vocatus,  
Semper insignis facie venustà  
    Ac pietate.

Floridas puris manibus coronas  
Texite, oh pulchræ juvenes, et altis  
Regibus, nostris dominis, libenter  
    Munera ferte.

Principis nostri placidam, nitentem,  
Fulgidis sertis roseis, amore  
Puberes magnò et tenero repleti,  
    Cingite frontem.

Ecce nunc bellus tenerè renidens,  
Gaudio nostros populos perenni  
Replet, et cunctas locupletat urbes  
    Pace bonisque.

Puberes læti, veteresque cani,  
Barbitos dulces, citharas canoras  
Dulcè pulsantes, alacres, et unâ  
    Pangite voce:

Vivat æternè Elisabeth Secunda!  
Inlytus Conjux pariterque vivat!  
Asturum Princeps numerosa degat  
    Lustra beata.

Atque cœlato solio recumbens,

Longa post regna et genitricis almæ,  
Dirigat recte populos iberos

Multa per æva.

Servet et cœlum sinè sorte nigrâ  
Principis pulchram teneram Sororclam;  
Servet... ioh! verè ut seraphim, vel alba  
Stella refulget.

Canticum lætum resonet per orbem,  
Et tubis centum canat alta fama;  
Jubilum campus capiat, quod omnem  
Replete urbem.

Attamen ḡquonām comitatus iste  
Provolut tanto strepitū sonoro?  
Quidvè commonstrant litui tubæque  
Mille sonantes?

—Inlyti Reges atavi Pelagî  
Visere intendunt monumenta sacra;  
Euge, ovetenses, properemus ipsos  
Concomitari.

Est ibi elatus tumulus sacratus,  
Unde processit validis iberis  
Alma pax: illum meditemur omnes  
Æstro agitante.

Liberae hispanæ patriæ revixit  
In locis illis amor, atque sensus:  
Ac ibi castrum fidei colentes  
Constituerunt.

Impigri Regis cineres repostæ  
Penè maurorum domitoris omnis  
Perfidæ turbæ remanent ibidem,  
Quas veneremur.

Attamen, ḡcur tot cumulas, Camœna?  
Herclè non ullâ est opus illecebrâ;  
Namque post Reges peragrant iberi  
Ter, quater orbem.

Seu ḡquibus nugis stolidè tot hæsi,

Conticens multo magis altiora?  
Nostra Regina Elisabeth reposcit  
Numina cœli.

Montis Ausevæ cupiens Speluncam  
Visere, et sanctæ peragenda vota  
Virgini curans, properat favente  
Cœlite, ad aras.

Jam viam lætè capiamus, eja,  
Semitam nostræ Dominæ benignæ  
Dulcè monstrantes: nimis efferamus  
Laudibus ipsam.

In Specum sacram penetremus, in quā  
Orbis et cœli sedet Imperatrix:  
Ad pedes ejus jaceamus, unâ  
Voce canentes:

«Oh Redemptoris Genitrix, Suprema  
Virginum Virgo, maris alba Stella,  
Certa spes vitæ, et miseris aperta  
Janua cœli.

«Oh nimis felix, veneranda Virgo,  
Sancta Bellorum Domina, Advocata  
Illiis recto vocantis ore  
Numina sancta.

«Pura, quæ pennis nitidis, Columba,  
Visa es immensas volitare in auras,  
Viribus lassos animando magnis,  
Atque fovendo.

Gratiae Mater, inopum miserta,  
Quæ tuis semper Vigil astitisti,  
Usquedùm mauri jäculis retortis  
Clade perirent.

«Respice, oh Virgo, supera Imperatrix,  
In tuo templo Elisabeth Secundam;  
Respice, adstantem genibus, regentem  
Optimè iberos.

«Namque te noscens reperisse sceptrum

Quod suis profert manibus benignis,  
In tuis sanctis reverenter aris  
Munera ponit.

«Accipe, oh dulcis Domina, ista dona,  
Quæ tibi hispani populi libenter  
Obtulit Mater: memor ejus esto  
Cuncta per æva.

«Præsta, ut hispanos, numerosa lustra,  
Protegens, totos faciat beatos;  
Atque cum clara Sobole et Marito  
Sit benedicta.»





# AD BEATISSIMAM VIRGINEM DE MONTE SERRATO

## ODE <sup>(1)</sup>

Oh nimis sancta, et veneranda Virgo,  
Alma solatrix mea, dux benigna,  
Pauperum custos, inopum Patrona,  
Dives amoris;  
Purior fulges rutilante luce,  
Quando Eos, surgens, nitide coruscat;  
Candido cœlo, exorientे sole,  
Pulchrior extas.  
Sicut in celsis aquilæ struentes  
Rupibus nidos resident superbæ,  
Virgo, sic summo in niveoque saxo  
Eligis Aëdem.  
Cœlitis Mater, supera Imperatrix;

---

(1) Versión latina de la primera composición poética, bellísima por cierto, que ha escrito en catalán el eminentísimo poeta, meritisimo académico y escritor, Excmo. Sr. D. Víctor Balaguer.

Si hactenùs nunquam Tibi consecraram  
Fervidos hymnos, animique grati  
Pignora amoris;

Parcito clemens, quia nauta solūm  
Anxius postquam videt ipse puppim  
Fluctibus mersam, solet ad salutis  
Tendere portum.

Tristè captivus gemit ob charisma  
Perditum, vinclis periens in atris;  
Horrido nimbo tremefacta, nidum  
Quærit hirundo.

Sic ego, tamquam reus in catenis,  
Tétrico fato opperior levamen;  
Os meūm tristes lacrimæ exararunt;  
Cor dolor icit.

Sicut in pugnis eques incitatus  
Per vias jactat trepidanter arma,  
Sic ego, ioh Mater! lacerata cordis  
Fragmina fudi.

Unio cœli, sinè labe fulgens,  
Virgo Serrati deamanda Montis,  
Quam coronarunt, rapiendo stellas  
Angeli in altis.

Da, ut tuas possim recitare laudes  
Hac die linguā lepidā et sonorā (1)  
Quā parens olim mea mē docebat  
Pangere Divum.

Regiis semper recolenda in aulis,  
Et casis parvis, veluti monile,  
Margaritarum tua plena, et auri  
Cernitur Icon.

Et sacrum montem, clamydem micantem,  
Quæ tuos gemmis humeros inornat,

---

(1) La lengua catalana, que según el parecer de respetables filólogos, más que de dialecto, merece el título de perfecto idioma.

E plagis cunctis homines aeventes

Visere querunt.

Et tuum, Virgo immaculata, nomen,  
Orphani et mæsti, vocitant dolentes;  
Id quoquè infantes repetunt, receptum

Matris ab ore.

Quam nimis dulce, et super omne, nomen!  
Canticum supplex tibi mundus offert,  
Ac tuum nomen, veneranda Virgo,  
Pronus adorat.

Naufragi, duro boreâ furente,  
Fortè in angustâ tabulâ labantes,  
Ah! tuum nomen memorant supernum,  
Cœlica Diva.

Rusticus miles, fenus *almogavar*,  
Antequam ferri acueret bipennes,  
Ter tuum nomen pius invocabat,  
Candida Virgo.

Et tuum, quondam, sine nube, nomen  
Splendidum signum fuit, ac decorum,  
Laudis ostendens iter, et triumphi  
Gentis iberæ.

Et placens clamor fuit universus,  
Quo labris clari Ducas evocato,  
Floridas nostra ex Italis reportat  
Barcino lauros.

Prosperum tempus fuit illud herclè!  
Ah! nimis felix erat, et beata  
Civitas, quando, imperium gerendo,  
Fraena regebat.

Quando per naves, marium tyrannas,  
Barcino fortis benè vectitabat  
Aureas Vectes, quoquè celtiberas,  
Omne per æquor.

Vallis, et montis Domina, alta Diva,  
Quando deflexis genibus refractos

Ad tuum splendens solium videbas  
Sæpè monarchas,  
Principes quando nitidis coronis  
Tempora accinctos, decore, et vigore  
Præditos, victos cadere ante fanum  
Ipsa videbas,  
Non quidem mirum si ad honoris ampli  
Et tuae laudis cumulum canendum,  
Gesta cum nostris tua magna nectam  
Vinculo amoris.  
Una, et imprimis eadem notescit,  
Et tua et nostræ historia exhibenda  
Inclytæ gentis, quia scripta lucet  
Utraque in auro.  
Porrò tempestas decorosa valdè  
Illa, qua, Petri, simul et Jacobi,  
Atque Raymundi vigilanter orbi  
Jussa ferebant.  
Dùm valentini, et quoque baleares,  
Liberi a mauro jugo et ense abibant,  
Vectium signum volitans ovanter  
Fulxit in orbe.  
Tunc maris reges, Catalonienses  
Hosticum signum furiis domabant,  
Dùm metu, durè imposito, premebant  
Fortiter hostes.  
Nec quidem pisces poterant abire  
Per mare immunes, nisi celtiberum  
Stemma sacratum sinè fraude ferrent  
Tergore scriptum.  
Milium nostrûm memoranda gesta  
Solis ut lumen rutilum patescunt;  
Ac valent cunctos cumulare summis  
Laudibus orbes.  
Centies classes Genuæ superbas  
Funditus dura peremere clade,

Sicut ingenti fugitat, peritque  
Turbine fumus.

Territi prorsus veneti, stupore  
Barcinonenses acies videbant:  
Floridos ipsis generosa cessit  
Parthenope hortos.

Aute eos proni calabri cadebant;  
Voce concordi siculi libenter  
Sæpè eos tamquam dominosque, herosque  
Jure tenebant.

Tunc tenax miles, ferus *almogavar*,  
Ense nudato, cupidusque cædis,  
Fervidas tandem sitiens eoas  
Perculit oras.

Turbidi certè, tremulique turcæ,  
Ejus in duris positas lacertis  
Sorte crudeli quoquè concubinas  
Esse videbant.

Denique ad ferri strepitum ferocem  
Procidit turpis *nova Roma* (1) plorans,  
Sicut exultæ cecidere Athenæ  
Sanguine opertæ.

Vinculis diris pariter prehensi  
Græcus, et Turca illacrimantur unâ;  
Nonnisi invictus, ferus *almogavar*  
Rex erat illis.

Ipse equis pallas trabeasque regum  
Sæpè pro lecto dabat arroganter;  
Regias aulas reputat tabernas,  
Fana, profana.

¶ Laus sit in sæclum Cataloniensi!  
Si ejus invictæ, rapidæ triremes  
Ambitus omnes maris ambulabant  
Robore plenæ;

---

(1) Constantinopla.

Ejus et fortis, validæ phalanges  
Signa per mundum decore advehentes,  
Maxumas laudes generis gigantum  
Amplificarunt.

Tu, ipsa oh Virgo! Domina es triumphi;  
Et tuum, semper placidè invocatum,  
Nomen in labro cataloniensi  
Dulcè sonabat.

Nam viri fortis, catalonienses,  
Gloriae summæ cupidí, ante luctam,  
Canticum lætum tibi dedicabant,  
Sacri Hera montis.

Ipse Mons pinguis, veneranda in ævum  
Arx, ubi in dextrâ tua sceptrâ splendent,  
Forte munimen fuit, atque scutum  
In saracenos.

Postea, haud pridem patriâ periculum  
Inminens turpis subeunte cladis,  
Horridè et nostro populo fremente  
More leonum:

Gallus ostendit miseras catenas;  
Gens iberorum rabidè resurgit;  
Barcino appellat lituis cohortes  
Arma gerentes.

Turma tunc præstò cataloniensis,  
Ipsa vexillum patriæ reponens,  
In tuis tutò occulitur rubetis,  
Mons celebrande.

In tuis posthac scopulis tremendis  
Alma Libertas sibi struxit ædem,  
Antemurale, et solidum receptum  
Religionis.

Mons bonæ Divæ! Tua cùm recordor,  
Plena portentis, juga delicata,,  
Sancta Libertas subit ioh! Crucique  
Nexa refulget.

¡Simbola oh perqnam veneranda bina!  
¡Pulchra Libertas, Crucis empta ligno!

¡Charitas fervens, pietas superna  
Divi hominumque!

¡Alma libertas! Crucis eminentis  
Cœlicum signum! simul omni in orbe  
Jugiter cultum placidum tenetis

Pectore in omni.

Nempè spiramen fuit illa Divi;  
Ejus haec mortis reverenda imago;  
Allicit prima ingenuos; secunda  
Liberat omnes.

¡Sancta libertas! ¡Bona Crux amanda!  
Vestra vexilla inmaculata, juncta,  
Martyrum tumbas super et virorum  
Strata locantur.

Romæ in heroum tumulis, sub antro,  
Quod sonat totis «Catacumba» linguis,  
Stemmata ambarum, simul involuta,  
Mixta fuerunt.

Virgines castæ inviolati amoris,  
Amبæ et æquales decore et vigore,  
Sunt dueæ gemmæ roseæ renatae  
Stipite ab uno.

Utraque inspirat decus, aut amorem;  
Utraque affectus sine labe spirat;  
Altera est cultus populi supernus,  
Altera cordis.

Vos ego agnosco, juga Montis alta:  
Glorias vestras recolo, atque amores,  
Sæpè nam flores tuli, et alma Divæ  
Tempora cinxi.

Teque ego agnosco, scopulose vertex,  
Cujus apprimè historiam recordor;  
Namque eam quondam retuli libenter  
Œstro agitante.

Si mihi quasdam dedit ipse laudes,  
Sunt tuæ omnino, placidum Cacumen....!  
Namque Serrati celebror poëta

Montis ubique.

Cùm super petras oriens coruscas  
Cocceos Titam radios remittit,  
Osculum tamquam tibi redditurus

Candidi amoris:

Cùm tuos velis nitidis, vel auri,  
Vertices summos operit per aestum,  
Sivè montanas acies inornat

Sæpè lapillis;

Cùm per elatos silices, volantes  
Passeres parvi, sua refricando  
Rostra, gaudentes benè manè læta

Cantica pangunt;

Nocte cùm longâ super æquor amplum  
Horridus nigror cadit, æde in altâ  
Suspisis, tamquam tymiama in igne,

Vota precantum.

Ante præfulgens solium, Maria,  
Lubrici mundi fugiens pericla  
Corde, prosternor, malè sauciato...!

Me excipe, Mater!

Oh potens Virgo, sapiensque Ductrix!  
Si sonos lenes avibus canoris,  
Atque fulgores et aroma præbes

Floribus agri,

¿Numquid, ut dirum releves dolorem,  
Balsamum Mater, dabis obsecranti?  
Hanc meam pœnam citò mitigare

Dulcis adesto.

Non mihi in vitâ requies, nec ullum  
Lene momentum fuit...! ¿An necesse  
Fiet, ut sòlum fruar in sepulchro

Pace cupitâ?

Nunc febris flagrans mea labra adurit;  
Palpebrae ardescunt, velut assa pruna,  
Præ tot effussis lacrimis...! Benigna,

Dicito, Mater:

Nunc meas possis relevare penas?  
Principes, reges apud Aëdis aras  
Ante te, flexis genibus rogantes,  
Sæpè stiterunt.

Pro bonis, quæ ipsis dederas miserta,  
Maximam gazam lapidum vel auri  
In tuo altari posnere dites

Pectore fuso.

Quid tibi, oh Virgo deamata valdè,  
Cantor exilis dabo, laudis expers?  
Quid tibi possim dare præter istud  
Pignus amoris?

Unica est verè mea gaza, carmen,  
Quod caret rhythmo placido et lepore:  
Quod magis possit tibi perplacere,

Elige, Mater.

Et quies quando capit exulanten,  
Sitve in extremis miser aut agone,  
Tunc ades presto, Cataloniensis  
Stella, precanti.





AD REVERENDISSIMUM  
Brem<sup>s</sup> B<sup>s</sup> Benedictum Sanz et Foréss<sup>s</sup>  
EPISCOPUM OVETENSEN (PRÆCONIZATUM).

1868

HYMNUS

Veni, benigne Episcopе;  
Antistes alme, provola;  
Hanc tetricam caliginem,  
Spargendo lumen, dissipа.

Te parvuli, Te puberes,  
Te quos senectus opprimit,  
Tum pauperes, tum divites  
Videre certant anxii.

Accede, Præsul optime,  
Qui ætate pollens florida,  
Penè omnis orbis ambitus  
Odore famæ impleveris:

Tu, sanctitate prædictus,  
Et mente clarâ præpotens,  
Errore nos et crimine  
Solus vales avertere.

Occurre, Pastor sedule,  
Venena tolle longius;  
Salutis apta pabulum,  
Gregisque honori consule.

Non dente morsos invido  
Nos deseris diutiis;  
Adesto, Custos pervigil,  
Ovesque, et agnos protege.

Oborta nuper haeresis (1)  
Furore caeca, et insolens,  
Sacrata jura Ecclesiae  
Conculcat, atque conterit.

Nos ipsa doctos, angelos,  
Dei ministros exigit;  
Minervae at Aedem dejicit,  
Serasque templis applicat.

¡Oh turpis, atra hypocrisis,  
Virtutis hostis impia!  
*Philantropi* se suscitant  
Qui charitatem respuunt.

¡Oh dira, trux hypocrisis.  
Liberticida acerrima!  
Liberrimos se plurimi  
Licentiosi praedican.

Oh inmunitas pulcherrima,  
Funesta eorum victima,  
Qui laudibus te extollere,  
Necare et audent actibus!

Occurre, Doctor inclyte;  
Honesti, et aequi regulas  
In hoc chaos reconditas  
Solerter illis explica.

Pater, veni, dulcissime,  
Nobisque reddas, quæsumus,

---

(1) Seditio septembribus 1868.


Quam corde pacem poscimus,  
Solvamusque dissidentias.

Omnis fideles hactenū  
Favore cœli degimus;  
Prece mur autem, nomine  
Ut hoc fruamur perpetim.

Accede, Præsul, protinus;  
Te cuncta plebs amplectitur,  
Te parvuli, Te puberes,  
Senesque amare devovent.

Humillimi Te clerici  
Ardemus omnes cernere,  
Ut ore fido gemmeum  
Deosculemur annulum.





## AD EUMDEM

# REVERENDISSIMUM EPISCOPUM JAM CONSECRATUM

---

## HYMNUS

---

**M**atutae redeunt alba crepuscula,  
Jam Phœbi rutilant splendida lumina;  
Felix Asturia, ioh! nox tua decidit:  
    Est sacratus episcopus.  
Exultet populus nobilis Asturum,  
Extremum cumulet pectora gaudium,  
Nam mox adveniet, auspice Numine,  
    Pastor noster amabilis.  
Præstò lux veniet fulgida et enitens,  
Quæ erroris tenebras dissipet admodum,  
In tantoque chao fortè reconditas  
    Æqui edat citò regulas.  
Et vos qui vidui fletis, et orphani,  
Et quos pauperies dira subegerit,  
Sitis nunc hilares, nam Pater omnibus  
    Est Antistes et angelus.

Cunetis jam liceat parcere, planctui,  
Nam vos eloquias nempè salubribus,  
Et vestros placido chrismate liberos  
Ibit Præsul inungere.

Exultent veteres cum junioribus;  
Omnes et pariter fausta precamini,  
Ac flexis genibus, voceque supplice  
«Salve» dicite Præsuli.





AD SANCTISSIMAM BELLORUM  
DOMINAM  
(VULGO DE COVADONGA)

— 200 —

DEPRECATIO

Qh Redemptoris Genitrix, suprema  
Virginum Virgo, maris alba Stella,  
Certa spes vitæ, reserata coeli  
Mystica porta:  
Lilium vallis, rosa lenis, alma,  
Ex cavo saxo recreans iberos  
Qui tuas visunt reverenter aras  
Rupe sub altâ.  
Oh nimis bella et celebranda Virgo,  
Sancta Bellorum Domina, advocata  
Plebis oppressæ, tua postulantis  
Splendida signa.  
Pura, quæ pennis nitidis, Columba,  
Centies olim volitare in auras  
Visa, et Ausevæ tumulum micante  
Luce replesti.  
Gratiae Mater locuplex, tuorum

Militum quondam vigil, atque Custos,  
Dùm feri Mauri, jaculis retortis,  
Clade perirent.

Quae sacro in saxo Pelagi repostos,  
Impigri Regis, cineres reservans,  
Te ducem præbes, columnque firmum  
Gentis iberae:

Nubilum nobis minitatur atrum;  
Tu fave ioh astrum rutilans! Rebelles  
Qui potestati objiciunt, minaces  
Pacis aberrant.

Cara Regina Elisabeth, cruoris  
Nobilis tanto pretio redempta,  
Gentis hispanæ veneranda Mater,  
Anxia clamat.

Perfidì quidam spurii, furentes,  
Extero influxo malè concitati,  
Regium, dextrâ temerante, sceptrum  
Frangere quærunt..!

Subveni, Virgo, propera; impiorum  
Solve conatus; pereant scelesti,  
Matre qui regnum spoliare tantâ  
Velle videntur.

Praesta, ut hispanos numerosa lustra  
Dirigat, dulcis foveatque Mater,  
Sorte quæ pridem populo supernâ  
Est data ibero.

Praesta, ut et mitis Soboles, tenella,  
Lustra per multa intemerata vivens  
In bonum perpes redimita servet  
Tempora sertis.



## ORATIO DOMINICALIS



### HYMNUS

¡Oh Pater noster, qui es in alto Olympo!  
Sit tuum nomen super omne sanctum;  
Imperes semper; tua sit voluntas  
    Facta perennè.  
Esca non nobis hodierna desit;  
Debitum nostrum miserans remitte,  
Sicut et nostros quoque debitores  
    Parcimus ipsi.  
Nevè nos culpæ cadere in reatum  
Desinas, immò et placeat benignè  
A malo immunes facere. Alme Jesu,  
    Haec ita fiant.  
Gratia plena, immaculata Virgo,  
Oh, ave: tecum Dominus, Maria:  
Unica electa, et benedictus alvi  
    Fructus amænæ.  
Tu, Dei nostri Genitrix, Maria,  
Subveni Adami soboli exulanti,  
Deprecans semper, potiusque in ejus  
    Mortis agone.  
Sit decus Patri, pariterque Proli, (1)  
Et tibi compar utriusque virtus,  
Spiritus semper, Deus unus omni  
    Temporis aeo.

AMEN.

---

(1) Esta estrofa final es de la Santa Iglesia.



## Ad Sacratissimam

**V**enit **S**anctam



## HYMNUS

**A**ureas linguas, volueres canoræ,  
Melleum guttum mihi commodate,  
Nam juvat dulcem niveæ Columbæ  
Pangere nidum.

Pangere intendo innocuam Columbam,  
Quæ feros milvi nimis arcet ictus,  
Namque custodes Deus ex Olympo  
Ponit eidem.

Passeres picti, in nemore, et viretis  
Ditis Auroræ elogium canentes;  
Nectaris, vestro quod ab ore manat,  
Reddite guttam.

Protinus sacrum meditabor hymnum,  
Et canam Conchæ, pariterque Gemmæ,  
Quæ ejus in centro tenuit receptum,  
Lætitiamque.

Diviti, et sanctæ, et venerabili Arcæ,  
Manna quæ cœli pia clausit intus,  
Et piè et lœtè nova dedicabo  
Cantica laudis.

Nempè conclusi revirentis horti  
Lilium conor celebrare purum,  
Et Rosæ fragrans placidumque cantu  
Dicere aroma.

De tuis, Virgo et veneranda Mater,  
Ædibus sanctis nitidè profabor;  
Et Domiūs magnum decus elevabo  
Sidera ad alta.

Stemma divinum Domus ipsa monstrat;  
Cœlicum signum manifestat orbi;  
Namque ea est nobis reverenda ut alma  
Cœlitis aula.

Hæc Domus quondam fuit alta Sedes,  
Quæ Dei Æterni Genitum recepit:  
Arx, ubi Excelsi solium serenâ  
Luce refulxit.

Angeli cœli famulantur intùs;  
In Domo sanctâ Dominis amanter  
Serviunt proni Seraphim venustâ  
Chlamiðe tecti.

Hæc Domus Joseph simul et MARIAM,  
Atque Divinum Genitum refovit;  
Ipsa heris cœli tegumen vel umbram  
Præstítit altis.

Non quidem quondam nitor emicabat  
Auri et argenti aut eboris sub ipsa;  
Semper at fulxit bonitas suprema,  
Summaque virtus.

Nazareth Virgo, tua dulcis Ædes  
Regias cunctas superat decore...  
Quid Sion gazæ fuerant, nisi ater  
Fumus et umbra?

Quid Midæ, aut Crœsi potuere pompæ?  
Quidve opes præstant Pharaonis amplæ?  
Cæsarum quidnam valuere luxus,  
Divitiaeque?

Aula dumtaxat tua dives extat,  
Oh potens Virgo, et nimis universas  
Unica excedit, quia Divus ipsam  
    Protegit amplè.

Hanc Deus nonvult oculis malignis  
Visi, et infidos vetat hanc tenere;  
Ipsa qua propter super angelorum  
    Dorsa feretur.

—Angeli, quonam vehitis sacellum?  
—Dalmatum jussi peragramus oras,  
In quibus Gazam populus fidelis  
    Gratus adoret.

Fortè livoris genius protervus  
Gratiā tantam renuet videre...  
Atque ita evenit. Manus annè turpis  
    Hanc temerabit?

Divus haud unquam fieri profanam  
Hanc Domum sanctam patietur. Ecce  
Denuò jussi properant ministri  
    Ferre per auras.

Quousque thesanrum super alba dorsa,  
Angeli, lætè et placidè geretis?  
Quorsùs, aptantes iterum charisma,  
    Dulcè volatis?

—Eugen ab Europâ minime exeundum.  
Nempè LAURETI in regione amoenâ,  
Floribus verè et foliis opertam  
    Linquimus Ædem.

Cœliti hic ipsam placuit locari,  
Intus ut semper peragantur altè  
Signa, portenta et benefacta magna  
    Semini Adami.

Limini sacro reverenter adsunt  
Maximi et parvi, pia Virgo, proni:  
Et tuam læti venerantur Ædem  
    Nocte, dieque.

Rex ei ex alto invigilat Olympo,  
Atque ibi exponit miseratus aras,  
In quibus totus bona sempiterna  
Suscipit orbis.

Balsamum gratum capit omnis æger  
Æde in excelsâ, auxiliumque pauper;  
Atque Laureti peregrinus oras  
Visit amenas.

Principes, reges, solium tenentes  
Sacro in altari sua sceptrâ ponunt,  
Ac ibi linquunt nitidas ceronas,  
Sertaque pulchra.

Hûc duces veniunt, viridesque lauros  
Armaque exponunt, et amore Divi,  
Candidæ spondent documenta pacis  
Se esse datus.

Artis auctores operas politas  
In tuis linquunt peramanter aris,  
Et fide pleni sua vota complent  
Dives, inopsque.

Tristis Europa ad nihilum redacta  
Vel feris armis lacerata turcis,  
Mersa, vel saltem pelagi sub undis  
Sæpiùs esset,

Ni tui influxûs ope sublevata,  
Oh Domus, semper foret in periclis:  
Namque tu es firmum columen labanti,  
Stellaque cæco.

Omne sis, Ædes, benedicta in ævum,  
Nobilis Jesu Domus, et Mariæ:  
Inclyta oh Joseph Domus, esto nobis  
Arca salutis.





## ADORABILE CRUCIS MYSTERIUM



### HYMNUS

Qui luce caeos irrigat,  
Et voce mutos munerat;  
Qui Lazaro jam fœtido  
Novum vigore præsttit,  
  ¡Heu! pendet altâ ex arbore,  
Peremptus, ac injuriis  
A plebe lessus perfidâ,  
Ob quam Redemptor venerat!

  ¡En dura petra frangitur,  
Opaca pallent sidera,  
Cœlestis arca contremitt,  
Templique velum scinditur!

At cùm gementes angeli  
Crucem madentem sanguine  
Vidêre, cuncti confremunt,  
Minisque terras impetunt.

Corona, clavi, lancea,  
Cruorque fusus, admodum  
Iras supernas excitant;  
«¡Vindicta celo suppetat!»  
  «Descendat ignis dœvorans,  
Flammisque solvat sæculum.

¡Ah! deleatur protinus  
Mundus protervus, pervicax!»

Ardore sic Archangelus  
Objurgat altum Ccelitem,  
Quod perfidis mortalibus  
Indulgeat piissimus.

Sinu tamen qui in Abrahæ  
Morantur, hoc mysterium,  
Amore plenum maximo,  
Laudare non jam desinunt.

Nam jam beatitudinis  
Venis dies lætissimus,  
Quo cuncti ad almæ Virginis  
Ivère dulce filium.

Nam Victima haec innoxia,  
Dùm pandit aulam celicam,  
Adæ beati prosperam  
Prolem facit per sæcula.





# ¡REGINA CŒLI SAUCIA! <sup>(1)</sup>



## HYMNUS ELEGIACUS



Quid fletis, almi cœlites?  
Quid ululatis, angeli?  
Quod funus est miserrimum,  
Quod vestra scindit pectora...!!  
—Imago Divæ est saucia  
In corde sacratissimo!  
Afficta flet doloribus  
Regina cœli amabilis!  
Oh Virgo, sole splendido  
Amicta, lunam subterens,  
Stellisque cincta tempora...!  
Duro laboras vulnere...!  
Plorate, mæsti cœlites,  
Lugete, tristes angeli,  
Non lacrimis fas parcere  
Cùm Diva pœnas sustinet!  
Oh Mater admirabilis,

---

(1) En los furores de la maldita Revolución de Setiembre entraron en un templo una horda de bandidos, y fusilaron una Imagen de la Virgen Santísima.

Dulcedo, vita et exulum,  
Qui in valle sunt miserrimâ,  
Secura spes, solatum:

*Quis criminosus, perfidus,  
Spirans minis et cædibus,  
Matris tenellæ et optimæ  
Cor ausus est transfigere?*

*Oh Scala cœli mystica,  
Quæ humanitati consulens,  
Tam vinculo admirabili  
Imis superna copulas!*

*Quis mente captus, insolens,  
Furore ductus horrido,  
Suæ salutis anchoram  
Intendit intercidere?*

*Oh Stella ponti fulgida,  
Quæ nos per æquor naufragos,  
Dùm gurgite atro mergimur  
Illuminas et dirigis...!*

*Quis cæcus insensibilis,  
Quis vermis execrabilis,  
Lucem perosus, horridæ  
Se sponte dat caligini?*

*Oh Mosis Arca cœlica,  
Praedulce manna conferens;  
Quis te refertam fecerit  
Tam sævâ amaritudine?*

*Oh Turris alta, eburnea,  
Scutisque munitissima,  
Quis proditor te perfidè  
Dolore fractam reddidit?*

*Dic, quæso, Virgo candida,  
Quæ dextra trux et impia  
In cor tuum dulcissimum  
Ferale plumbum miserit?  
Quis teter est sicarius,*

Vel perduellis, vilior  
Dracone, quem deviceris,  
Et admodūm ferocior?

Quis est, et e viventium  
Numero statim delebitur?  
Quis est? at ipsi parcito,  
Regina clementissima!

Crudelis, atrox carnifex,  
Qui in te ferox et horridum  
Commisit ausum nesciit  
Quid ipse, Mater, fecerit.

Quamvis in hāc Hispaniā  
Cui tanta dona perpetim  
Largiris |heu! fataliter  
Enorme crimen extitit;

At turpe factum, flebile  
Hispanus omnis rejicit,  
Tuamque poenam lugubrem  
Dolore plangit funebri.

Ibera verē natio  
Quae te patronam deligit,  
Mærore flens injuriam,  
Exposcit indulgentiam.

Ignosce, Mater optima,  
Reum nefandi criminis,  
Tuique dextram Filii  
Placare nunquam desinas.





# AD S: FRANCISCUM DE BORGIA

## HYMNI

### I.

Francisce, princeps optime,  
Dux Gandiae, vir inclyte,  
Qui in aulicis refulxeras,  
Ut sol in astris enitet:

Exemplar, et lux principum,  
Qui exurgis inter nobiles,  
Ut in rubetis asperis  
Resplendet album lillum:

Non Margaritae fulgidæ,  
Non pallor auri divitis,  
Vel splendor argenti tua  
Serena cecant lumina.

Tu labis expers, innocens,  
Regali in aulâ plauderis:  
In flore vite honoribus  
Es plenus, et virtutibus.

At fausta sæcli respuens,  
Caduca abhorres munera;  
Dulcis Sacerdos, cœlica  
Dumtaxat ardes præmia.

Tu laudis auram despicias,  
Fluxasque pulchritudines;  
Servire nonvis Regulis  
Qui fortè possint emori.

Nunc luce pollens, sidera  
Transcendis alta perpetim:  
Nos protege in miserrimâ  
Qui valle flemus exules.

Præsta, beata Trinitas,  
Ducis rogatu Gandiae,  
Ut nos relicto cortice,  
Sedes petamus cœlicas.

AMEN.

---

## II.

Quatum beatæ Gandiae  
Ducem Creator elevat;  
At ipse honores sæculi  
Ictus timore suspicit.

Jam puber, almis regibus  
Amicus altè claruit;  
At orbe in omni, pauperum  
Pater vocatur sedulus.

Rem Barcinone publicam  
Solerter ipse gesserat:  
Tunc alma pax et aequitas  
Sunt osculatæ adinvicem.

Tunc fluxa temnens munia,  
Totum Deo se devovet;  
Uxor is orbus, optimum  
Certamen icit impiger.

Fervore ductus cœlico

Dei minister ungitur,  
Et serta, et ostrum fulgidum  
Oblata sæpè rejicit.

Abjecta quæque et infima  
Gaudente corde amplectitur:  
Ægros salute munera,  
Mæstisque fert solatium.

Labore fractus, denique  
Mortali adempto cortice,  
Sanctis parata, præmia  
Æterna cepit cœlitum.

Benigne, da Diespiter,  
Preces per hujus Principis,  
Ut nos, soluto corpore,  
Volemus alta ad sidera.

---

### III.

Insignis Procerum gentis ibericæ  
Clarorum genitor, lux, decus optimum,  
Te patrem deamat Gandia nobilis,

Ac sanctum celebrat Duce.  
Regis jam socius, rebus in arduis,  
Miris eloquiis cœlitùs affluis,  
Et fortè monitis Hesperiam tuis


Ac virtutibus elevas.

Verè conspicuis editus et probis  
Et sanctis atavis plauderis admodùm;  
At jam pauperiem ducis amabilem,

Quærens dona perennia.  
Fausti de illecebris mente recognitans,  
Luxūs mollitiem longiūs abjicis,  
Nam mundi speciem funditus atterit  
Dirus mortis aculeus.

Christi in militiam Signifer advolas;  
Te Jesu nitidus Cætus honoribus  
Perdignum reverens, præficit, auspice  
    Cœli numine, Præstitem.  
Nunc in sidereis sedibus insides,  
Æterna excipiens præmia cœlitum;  
Pro nobis, miserans posce Diespitrem  
    Ut nos parcat, et adjuvet.





# AD BEATISSIMAM VIRGINEM DE SANCTO LAURENTIO

PAtronam Vallis Oetunam

---

## ODE

---

**B**eati, et almi cœlites,  
Qui excelsâ in aulâ vivitis,  
Quæ est ista, quæ astra subterit,  
Fulgore dives admodum?  
Quæ est ista, quæ sic se elevat,  
Aurora ut alba, fulgida;  
Electa, sol ut lucidus;  
Ut luna, pulchra et candida?  
Quæ est ista, fortis, impigra,  
Dotata et auso et viribus,  
Tamquam minax exercitus  
Paratus acre ad prælium?  
Quæ Diva, quæso, dicite,  
Formosa, plena lumine,  
In hoc die tam limpido  
Serena in orbe claruit?

—Est Virgo pura et innocens,  
Et cœli, et orbis gaudium,  
Die quæ in hoc mortalibus  
Corusca Stella apparuit.

Est Virgo clara et inclyta,  
Quæ exorta stirpe regiâ,  
Electa et ante saecula  
Data est Adami semini.

Regina cœli præpotens,  
Divina Mater optima,  
Quam nunc adorant angeli,  
Omnesque cœli principes.

Patrona splendidissima,  
Quam Pinciana civitas  
Olim poposcit fervidè,  
Et nunc salutat canticis.

Est lene, et album lilium  
Halans aroma cœlicum,  
Colore dives fulgido,  
Vallem decorans fertilem.

Est Nata Divi altissimi,  
Jesu Parens humillima,  
Et Sponsa amans Paracliti,  
Et Trinitatis gloria.

Est Virgo prudentissima,  
Dicta a Prophetis provida,  
Sæcli Redemptrix perditi,  
Sperata lux a pristinis.

Herois est fortissima,  
Quæ calce trivit occiput  
Infensi et atri dæmonis,  
Metuque avernum concutit.

Est cœli aperta Janua,  
Sapphiro et auro condita,  
Quâ semper intrant filii  
Qui ex corde Jesum diligunt.

Est Arca magni fœderis  
Quæ continent mysteria,  
Vel dona, vel charismata  
Quæ humanitatem sublevant.

Est Turris alta, eburnea  
Cantata David carmine,  
In qua refulgent aurea  
Et scuta, et arma fortium.

Est hujus Urbis nobilis  
Tutela et arx amplissima;  
Est stemma, quod dat civibus  
Laudem, decusque, et gloriam.

Corona magni Martyris,  
Dulcissimi Laurentii,  
Qui ejus potitus nomine,  
Adorat ipsam Virginem.

Eva altera, et piissima,  
Quæ tersit ulcus foetidum  
Quod Eva prima protulit  
In stirpe primi plasmatis.

Quam pulchra, Virgo Candida,  
Spectatur in solemniis!  
Et quot lapillos fulgidos  
Ostendit albo in pallio!

Solemnis hæc festivitas  
Splendore vincit caeteras,  
Nam Mater alma filios  
In hâc beatos efficit.

Oh! quot tenellæ virgines,  
Castique quanti puberes  
Reginæ ad alma altaria  
Allecti amore cursitant!

Et quot rosis et floribus  
Tuum caput pulcherrimum,  
Colenda Virgo, amabilis,  
Ornare querunt anxii!

Oh Virgo prædicabilis,  
Quæ nomen a Laurentio  
Desumis altum Martyre,  
Tuis fave clientibus.

Tuæ sacratæ Imagini  
Donum Deus miraculi  
Concessit... Ampla Martyrum  
Regina, nobis subveni.

Tu sœpè in hujus oppidi  
Tutamen, altis mœniis  
Scutum fuisti aptissimum  
In maximo discriminé.

Hostes abire longius  
Metu et tremore adegeras,  
Atque a periclis liberos  
Tuos colentes feceras.

Tu mauritanas copias,  
Furore cædis ebrias,  
Contriveras, ut Pincium  
A clade salvum redderes.

Tuā sub ægide aureâ  
Non pestis, aut calamitas,  
Non horror, aut incendium  
Urbem solent affligere.

Servis tuis poscentibus  
Confringis atra vincula;  
Ferri catenas detrahis  
Queis orcus ipsos illigat.


Nomen tuum sanctissimum  
In aure suavè consonat,  
Superque mel dulcissimum  
In ore gustum recreat.

Regina coeli præpotens  
Et Imperatrix orbium,  
Quam Pinciana civitas  
Magnam Patronam prædicat.

Tuos caye ne deseras  
In tot periclis perditos;  
A servitute dœmonis,  
Noxaque ab omni libera.

AMEN.





IN EXALTATIONE PRÆSTANTISSIMI ARCHIEPISCOPI  
MORENO AD CARDINALATUM



ACROSTICHIS

Inclyte sacrato, Princeps, qui Murice fulges,  
Ornatumque tuis Ostrum virtutibus auges;  
Asturiae quondam jubar, auxiliumque, decusque,  
Nunc astrum rutilans, urbis nunc lumen et orbis;  
Nuper in immenso radians lux æthere, Doctor  
Egregie, et cuius monitis Ecclesia floret,  
Salve; astur memor effuso Te corde salutat.  
Munera nam nobis quænam tam grandia cœlum,  
Optime, donabit, quam si astra, Antistes, adires?  
MORENO eddere nunc Superis tanto pro munere grates  
Ex animo juvat. Ante aras procumbere proni  
Itemur, Christi Genitricem corde precantes  
Omnia ut alme Tibi, Præsul, sint fausta perennè.

1867





AD SSMUM. JOSEPH  
Beatiissimæ Mariæ semper Virginis  
**SPONSUM**  
UNIVERSÆ ECCLESIÆ PATRONUM,  
**AD INSTAR LITANIARUM**

PRECES

**S**ancte Deus Pater Omnipotens, æterne Creator,  
Errantis miserè plasmatis esto memor.  
Sancte Deus Fili, generis Reparator Adami,  
Sontibus et miseris |heu! miserere piè.  
Spiritus alme Deus, mundi solator et altor,  
Collapsam plebem commiserare tuam.  
Sancta Trias, Deus unus in omnia sœcula vivens,  
Nobis in tantis |heu! misérere malis.  
Fulgida Stella maris, dulcissima Virgo Maria,  
Pro nobis ora Cœlitis ante thronum.  
Sancta Dei Genitrix, Joseph venerabilis Uxor,  
Pro nobis Jesu numina posce tui.  
Inclyta Davidis Soboles, sanctissime Joseph,  
Pro cuncto populo collacrimante pete.  
Munere magnifico gaudens, Patriarcha beate,  
Pro nostrâ veniâ poscito suppliciter.  
Vir simplex, humilis, maculæ peccaminis expers,  
Pro Papa nostro supplice voce roga.

Cœlestis Seraphim, terrenâ veste onerate,  
    Pro Sancta Ecclesiâ voce precante pete.  
Justitiae exemplum, divini cordis imago,  
    Pro Christi clero flagita, et ore roga.  
Consilii adjutor pacti in cœlestibus Aulis,  
    Pro Ecclesiæ ducibus, præstitibusque pete.  
Noscere qui es meritus secretum Cœlitis altum,  
    Pro nostro exora Fræsule munifico.  
Vir bone, cui viruit divinitus arida virga,  
    Pro nostro teneras fundito Rege preces.  
Virginitatis amans, pulchrique Magister amoris,  
    Pro plebe hoc festum concelebrante roga.  
Divinæ Auroræ consors, custosque fidelis,  
    Pro Ecclesia exora, te venerante Dacem.  
Virginis eximiæ nimiūm venerande Marite,  
    Pro Hesperiâ tenerè, soliciteque roga.  
Dux matutinæ Stellæ, et castissime conjux,  
    Pro sanctis monachis voce reposce piâ.  
Dotibus amplificis coeli decorate per ævum,  
    Pro nostro Regno numina posce Dei.  
Qui Patriarchatûs es funetus honore supremi,  
    Pro plebe exora, nomen amante tuum.  
Delicium Triadis, famule immaculabilis, alme,  
    Pro nostri populi pace, bonisque roga.  
Sponte, fidem jungens cum virginitatis amore,  
    Pro tibi commisâ plebe precare Deum.  
Divini Infantis satagens, columenque, paterque,  
    Pro lauro Ecclesiæ Cœlitis obsecra opem.  
Virginis excelsæ protector, humillime Virgo,  
    Pro novis humiles fundito voce preces.  
Sancte Faber, Verbi divini serve fidelis,  
    Pro labente fide feryidè et ipse roga.  
Alme Pater Jesu, sancto sic ore vocate,  
    Pro sanctæ fidei juribus ipse pete.  
Qui meritò es Pater appellatus ab Omnipotente,  
    Pro unicâ in Hesperiâ Relligione roga.

Qui sospes vitam meruisti vivere Jesu,  
Pro nobis multum flentibus ipse pete.  
Qui in Jesu manibus suspiria summa dedisti,  
Pro nostra sancta morte precare piè.  
Lumine qui fulgens habitas in culmine Olympi,  
Pro nobis cæcis pleniùs ore roga.  
Qui ad dextram Triadis celebraris cuncta per æva,  
Pro patriæ donis atque salute pete.  
Angele catholici gregis intemerabile scutum,  
Ora pro populo crimina flente sua.  
Luce qui in excelsis dives per sæcula vivis,  
Pro me peccanti terque quaterque roga.  
Agnus sancte Dei, mundi peccamina tollens,  
Peccantis plebis crimina parce piè.  
Agnus sancte Dei mundi peccamina tollens,  
Exaudi populi fervida vota tui.  
Agnus sancte Dei mundi peccamina tollens,  
Lugentis populi nunc miserere tui.  
Pro nobis misericors ora, sanctissime Joseph,  
Ut bene possimus perpetue luce frui.





# AD SOLEM DOCTORUM

---

## ODE

---

Sol bone, qui mundum fulgenti lumine lustras;  
Doctrinisque tuis instruis, atque foves;  
Oh astrum rutilans, cuius splendore suborto,  
Error et impietas longius aufugiunt:  
Candida magnatum Soboles, procerumque corona,  
Maxime catholico Doctor in orbe nitens:  
Tu, qui inter sanctos semper doctissimus omnes,  
Eloquuis orbes irradiare potes:  
Tu quoque, qui doctos inter sanctissimus omnes,  
Mundi extas columen, gloria, dulce decus:  
Quique quot articulos scriptos, tot signa stupenda  
Patrasti, ut magnus dicere Papa solet:  
Angele, in æthereo qui æternè vivis Olympo,  
Quod bene de Christo scriberè nactus eras;  
Vox Divi in terris hodiè te prædicat altè,  
Atque patrocinium postulat ipsa tuum.  
Te quoque proclamat columenque jubarque Scholarum,  
Teque Ducem placidè gens studiosa tenet.  
Hæresis incursus frangis jam jamque dolosos,  
Ac hydram firmo conteris ipse pede.  
Divinæ Sophiæ thesauros pandis in ævum;  
Tu solus sæclum dignificare vales.

Te duce, jam verū mortales, tramite recto,  
Sectantur; planè cœlica dona vident.  
Aurea jam nostro in populo dignoscitur ætas;  
Undique luce tuâ splendida surgit Eos;  
Sancta dies lucet signata in sedibus altis,  
Quâ licet hominibus, te duce, pace frui.  
Sancta dies fulget, splendenti lumine plena,  
Quâ infansti errores undique dispereunt.  
Jamque Bobis muti resonat mugitus in orbe,  
Doctrinâque polum lustrat utrumque bonâ.  
Gaudia concipias, Jesu intermerata caterva,  
Candida Guzmâni portio, sancta nimis.  
Hæc festiva dies, cunctum celebranda per orbem,  
Totis christicolis jubila sancta parit.  
Sidera, magnifice oh Sol, qui nunc subteris alta,  
Lux adsit nobis, auxiliumque tuum.





# AD SUMMAM THEOLOGICAM

## Divi Thomæ.

### ODE

Quod perfecte liber, multum pretiosior auro,  
Totasque exsuperans, quas tenet orbis, opes.  
Omnia cùm vincas mèrito dubitatur ubique  
Sisnè opus humanum, sis potiusve Dei.  
Palladium terris donatum coelitùs imis,  
Tristibus, et lapsis, ut medicina, daris.  
Cetibus in sanctis (1) Patres te nuper et olim  
Divinis recfè composuere libris.  
Omnia terrena hand dubiè monumenta peribunt;  
Tu sola in sæclis limpida et apta manes.  
Justitias Domini monstras mortalibus, atque  
Cœlestes aperis, constituisque vias.  
Infensi laqueos tenebrarum principis arces;  
Contra hostes Sophiæ porrigis arma bona.  
Divinæ es laudis monumentum firmius ære;  
Arx, ubi mórtales arma salutis habent.  
Te super instituit cœli Sapientia sedem;  
Te probat et plaudit Filius ipse Dei;

---

(1) Alude al hecho de haber sido colocada sobre la mesa al lado de la Biblia, la Summa Teológica, en el Concilio Vaticano.

Tu linguis cherubim loqueris magnalia cœli;  
Tu arcanum reseras, gestaque sacra Dei;  
Alme liber vitæ, Divi signacula portans,  
Pneumatis afflatu verba beata tenes.  
Septem dona Dei mostrant septena sigilla;  
Sic autem sophiae munera das homini.  
Diceris arca potens, vitæque charismata claudens,  
Et verè Tabulas, fœderis arca, tenes,  
Funditur in scripto divini flamen amoris;  
Grammata conflavit Spiritus ipse Dei.  
Sic Thomæ calamus scripsit peccaminis expers;  
Sic error minimè te maculare potest.  
Alpha quidem Sophie meritò ac omega putaris;  
Nam bene principium, riteque finis eris.  
**SUMMA** tuum nomen, superorum summa bonorum;  
Laus et honor detur cuncta per æva tibi.





AD BEATISSIMAM  
AC PRÆSTANTISSIMAM DOCTRICEM  
**TERESIAM DE JESU,**

in ejus tercentesimâ anniversariâ die ante  
eiusdem venerabile sepulchrum.

—  
**PRECES**  
—

Celestis oh Teresia,  
Oh Virgo sancta et inclyta,  
Quæ ostendis alta stemmata,  
Ornata Jesu nomine.

Flos lénis horti Cœlitis,  
Magnis nitens virtutibus,  
Per orbis omnes ambitus  
Aroma spargens cœlicum.

Oh sîdus, altum verticem  
Carmeli inundans lumine;  
Decora lux Ecclesiæ,  
Honor, decusque Hispaniæ.

Locata in amplis sedibus  
Bearis inter angelos;  
Tuamque sanctitudinem  
Omnes honorant cœlites.

Excelsi et almi Principes  
Te laude replent perpet;

Tuamque pulchritudinem  
Mirantur, et scientiam.

Tuas ego nunc glorias,  
Et gesta, vēl magnalia  
Cantare vellem carmine,  
Plectroquē sacro et aureo.

At barbitos est insona,  
Caretque jam dulcedime;  
Eget labrum vocabulis  
Œstrumque mens desiderat.

Te laudet omnis spiritus  
Beatus alto in æthere;  
Te candidatus Virginum  
Chorus per æva concinat.

Novum, placensque canticum  
Humano abest a gutture;  
Tuo canendo nomini  
Cunctæ lyræ sunt impares.

Cantare jār non expedit,  
Lugere tantum suppetit,  
Quōd nulla plebi ibericæ  
Est charitas, nec unio!

Non tympanum nec organum  
Sonoſ canoros explicant...!  
Orare nunc pro fratribus  
Dumtaxat, herclè convenit!

Cruenta monstrans ulcera  
Mendicus ecce postulo:  
Tamquam reus, qui in vinculis  
Moratur, ecce flagito.

Tui sepulchri altaria  
Accedo supplex viseré:  
Obscurus astur, asturum  
Festino vota pendere.

Prostratus in singultibus  
Ad te precatum dirigo;

Qui incensi in albis nubibus  
Ascendit usque ad sidera.

Hæc, quæsumus, precamina  
Exaudias, Teresia;  
Per Divi amorem fervidum  
Piè rogatum suscipe.

Per cor tuum dulcissimum  
Quod orbis est miraculum;  
Tui per almam Virginem  
Sponsi Parentem candidam.

---

II.

Per ambitus Hispaniæ  
Quam summo amore diligis,  
Non horror atrox bellicum  
Exterret agros fertiles.

Tubæ sonus, vel classici  
Non clangor angit oppida;  
Bellum tamen fit intimum  
Inter viros spectabiles.

Crudele bellum, pervicax,  
Movetur inter optimos;  
Fratres resistunt fratribus,  
Luctamque diram sustiment.

Non arma portant ferrea;  
Non sanguis ultro funditur;  
Stylus sed ater stringitur  
Et felle totum scribitur.

Peccare prælum nobile  
Consuevit omni tempore;  
At nunc ab irâ pascitur  
Cunctumque sanctum concutit.

Affectibus, Teresia,  
Utcumquè temporalibus,  
Rixantur hic et nobiles,  
Virique recti, et integri.

Procacibus dicterii  
Se vulnerant adinvicem,  
Linguamque verè hispanicam  
Mactare quisque enititur.

Cœci videntur taliter,  
Ut lucra, quæ hostis obtinet,  
Surgente discrepantiâ,  
Non cernat ullus clariùs.

Veni, columba candida,  
Descende in albis nubibus,  
Et fac ut ipsos charitas  
Informet, et corroboret.

Columba, adesto, cœlica,  
Ramumque olivæ fulgidum  
Affer tuis clientibus,  
Qui se gerunt hostiliter.

Doctrrix amanda, provola;  
Magistra linguae patriæ  
Semper putaris unica;  
Doce clientes eloqui.

Tu, linguae ut auxtrix doctior,  
Exempla da scriptoribüs;  
Divini amoris flammida,  
Amoris ignem spargito.

Stylus tuus, caduceus  
Sit alter in discordibus,  
Et pacis augens munera,  
Sit pignus alti præmii.

Et in beatitudine,  
Quam possides per sæculum,  
Dumtaxat hæc vocabula  
Profer statim, Teresia:

« Crudele cèsset protinus  
» Bellum protervum, callidum,  
» Quod gens ibera sustinet,  
» Et verbo, et actu perfidis.  
» In cœlo amato Hispaniae  
» Jam pacis iris fulgeat:  
» Formosa fiat unio,  
» Quæ Christi adauget filios.





# Ad Ecclesiam Catholicam Romanam



## ODE <sup>(1)</sup>

(VERSIO LATINA.)

**S**i neque qui plantat, neque qui rigat omnia supplet,  
Sed de magnifico donorum fonte tuorum  
Deveniunt operi incrementa, Diespiter alte;  
Menti redde meæ radium, lucisque juvamen,  
Atque lyrae mutæ harmoniaæ largire fluenta:  
Numine fecundam nostram, precor, effice musam.  
Nam si Catholica et Romana Ecclesia Sancta  
Est celebranda mihi, vel carmine fortè canenda,  
¿In quo nitetur nisi sancto in Numine cœptum?  
Quando fide, et sensu, et spe res poscitur alta,  
Non humili renuis cœlestia dona precanti.  
¿Unde tua incipiam narrare, Ecclesia Christi,  
Maxima gesta nimis? Tua sunt magnalia tanta,  
Ut nisi res verè divina intrinsecus esses,  
Æmulus ipse suam propriam te Divus haberet.  
— Cùm mea mens rudis exemplar considerat amplum,  
Atque tuum decus, et virtutes cogitat altas,  
Te magis atque magis veneror sine limite magnam,  
Atque tuas doleo laudes audacter obire.  
Ipse tuus fulgor, lumen de lumine perpes,

---

(1) Original de D. Victor Suárez Capalleja.

Qui solis radium vincit, rutilumque nitorem,  
Hærentes oculos hominum cæcare videtur.  
;Oh arbor vitæ radicibus insita in alto,  
Ubere quæ succo dives vel rore fluente,  
Tamquam si almo in Edem liquidus prolabitur amnis,  
In mentem sterilem fundis sinè tabe vigorem.  
Tegmine sub frondis totum complecteris orbem,  
Humanumque genus, miserum, patriaque carentem  
Extensis ramis et amoena protegis umbrâ;  
Ac ipsi nidum, plenum dulcedine, præbes.  
Arbor divina, a dextris Rectoris Olympi  
Insita, protendis virides super æthera ramos,  
Et tamquam thuris nubes ascendit ad astra,  
Sic justum reddens Domino cœleste tributum,  
Millia sanctorum, sancto de germine fructum,  
Mittis ad æternas sedes, ut pace fruantur.  
Heu! utinam Cæci psaltheria vatis haberem, (1)  
Qui amissum doluit Paradissum manè nefasto!  
;Quam benè tunc vegeto canerem tua carmine gesta,  
Ac in te inventum Paradissum, Ecclesia Divi,  
Nocte, dieque nimis celebrarem dulcibus hymnis.  
Abdita in obscura Cataumba, tristè perosa,  
Dùm clari solis videoas optabile lumen,  
Mì subis in mentem, jam jamque es fortis et audax.  
Funditus evertes romanum Pantheon amplum,  
Atque cadent strepitu Capitolia diruta magno,  
Quominus impediant solium te scandere ovanter  
Sæva tyrannorum tormenta parata per ævum.  
Jam super Imperium reperisti nempè triumphum;  
Attamen ipsa sinu spuriös sine pectore natos  
Fers male, qui ingrati exoptant tibi ferre venenum,  
Vel fortassè suæ rhedæ te prendere vinclis,  
Aut te indefessè luctamen ad acre lacessunt.  
Ipsa tamen fidei clypeo munita videris;

---

(1) Alude al gran poeta Milton.

Atque tuo ex ore injiciens, velut ignea tela,  
 Verba potestatis divinæ robore plena,  
 Unoquoque tuo verbo ut candente sagittâ,  
 Mille cadunt decies a dextris atque sinistris,  
 Ex inimicorum turbâ, qui tete abolerent  
 Herculè, si possent. At qui te provocat audax,  
 Adversus Christum luctamina sustinet effrons.  
 Nomina pravorum quisnam defendere quibit?  
 Quidve tui linquunt post sese duri inimici?  
 Nomen in historiâ maledictum, probra nefanda!  
 Ah! si quando manu exsecrandâ Cœlitis Arcam  
 Tangitis, atque Senem Vaticani lædere vultis,  
 Heu! vestra impietas teneatur fracta tremore,  
 Nam si nunc minime vult proditor ire Canossam  
 Pectore contrito, aut servi lugentis adinstar;  
 Providus existit vigilans in culmine cœli  
 Divus, qui pravum frænans cohicensque latronem,  
 Emori eum cogat solum super arida saxa.  
 Oh! quot humi solia eversa, et turbata ruerunt,  
 Non sechs ac vento cumulus dispersus arenæ!  
 Quot magnos populos, quanta evanescere regna  
 Vidimus haud aliter quam pompæ flamme plenæ!  
 Tu interea victrix, et voti compos, ovansque,  
 Fluctibus in mediis, agitata furente procellâ,  
 Per mundi pelagum, superando pericula, tendis.  
 Ac si quando magis crescunt discrimina dura,  
 Firmior appares, longèque potentior extas.  
 Nam Divi verbum fecundans germina cuncta,  
 Et faciem terræ renovans, te robore dotat.  
 Nempe dies veniet, Divo si fortè placebit,  
 Quâ ignota Occeani regio, vel perdita tellus,  
 Emporium fiat progressus mercis, et artis,  
 Dum vetus Europe, sinè civibus, orba manebit!  
 Quando tunc vacuas peregrinus visitet urbes  
 Desertæ Europæ (veluti nunc accidit afris,  
 Deletam Ninivem lustrantibus, aut Babilonem,

Quominus ipsorum feriat meditatio mentes)  
 Londini erasa, et confracta palatia cernet,  
 Igneque deletas, quas magna Lutetia promit,  
 Immensas videat gazas in pulvere turpi,  
 Quando tuos muros, Urbs maxima, visitet hærens,  
 Sic exclamabit: *Salve sanctissima Sedes!*  
 Nam prout exsurgens in eremo Pyramis alta  
 Temporis eludit juges fortisque rigores,  
 Tu sic incolumis, cunctum victrixque per ævum,  
 Imperium mundi, diadema cincta gubernas.  
 Ore tuo ex sancto verbum quod profluit alnum,  
 Arcanum reserat vitæ, et problemata solvit,  
 Et sine secretis mysteria cuncta revelat.  
 Dogma tuum solis splendentia fulgura vincit;  
 In monitisque tuis radiantibus ignis adinstar,  
 Pabula mens hominum, reperitque scientia lumen,  
 Arsque novum semper tenet inspiramen ab ipsis,  
 Lumine vivifico clari circumdata solis,  
 Jugiter impulsans genium, magnalia navas,  
 Atque tuum cœptis apponens ipsa sigillum,  
 Christi opus exsequeris restaurans omne per ipsum.  
 Quis nimis audacter, mendax te dicere possit  
 Humanæ mentis tortricem, sive tyrrannam?  
 Cui, nisi, sancta, tibi, excellens Ecclesia Divi,  
 Felix hoc sæcum progresus debet honores?  
 Quis tamdem rabido Iconoclastæ restitit audax,  
 Maxima conservans artis miracula mundo?  
 Quis sacrum potuit servare charismatis ignem  
 Perfidia è tantâ, tumidaque tyrannide græca?  
 Tunè inimica ferox hominum? *Miserabilis error!*  
 His mendis animus fervente accenditur ira,  
 Auxilium clamans rationis nempè severæ;  
 Namque Notus vehemens cum velum verberat efflans,  
 Turbido in ideæ pelago quæ concitat orbem,  
 Nautica acus cursum signans per turbida ponti  
 Non unquam nautæ errantis fuit hostis in undis.

Oh! Quis te accuset funesto complicitatis  
Crimine principibus cum sœvis atque tyrannis,  
Si hoc trux inficta in populos injuria dirè  
Tanta tuo cordi confixit vulnera acerba?  
Si a te acceperunt gentes sua jura colenda,  
Atque tuis populos nutristi lacte et amore,  
Sicut apis solers apprimè alvearia fingit,  
¿Quis jam te accuset....? Prostrata Polonia surge!  
Tantalis Europæ infelix ¡heu! dico saltem:  
¿Quis tua præcipuè petiit disrumpere vincla?  
¿Quisvè tui doluit scisuras corporis almi?  
¿Quisve tui populi maledixerat hercè catenas?  
¿Quisve suos toties clamores edidit altos  
Adversùs diros reges, sœvosque tyrranos,  
Quos cultæ Europæ peperit Septentrio durus?  
¡Philosophisme procax, irrigor Numinis effrons!  
Serve, et adulàtor nequam cujusque potentis....!  
Verba per infamis scurræ, hæreticique nefandi (1)  
Ut citius caderet generosa Polonia tristis,  
Incautos animos ad tantum crimen agendum  
Sarcasmo et risu quandoque furore ciebat.  
Tu sola interea clamans, Ecclesia sancta,  
Quando potentatus fortasse stupore tacebant,  
Nobilis excidium Gentis lacrimabile flebas.  
Et contra infandos vocem super astra levabas.  
Oh, mea si alma fides, østro quæ pectus adimpler  
Robur et accentum daret, atque juvamina voci!  
Blasphemæ turbæ, quæ nunc se extollit iniquè,  
Dicere sic vellem: «mox expurgiscere, surge»  
»Cùm Romam rutili Solis lux fulgida inundat,  
»¿Tunè jacebis adhuc tenebris immersa sub atris?  
Protinus ex oculis horrendam projice squamam;  
»Et dic nùm vitæ problemata in ordine summo  
»Ritè resolvantur cumulis ingentibus auri?

---

(1) Voltaire.

» Nùm violenta sitis, quæ cor sine limite vexat,  
 » Donec in aeternum supremâ pace frnatur,  
 » Arte, vel ingenio satietur? Mente revolve,  
 » Atque tuam torque rationem tristè superbam.  
 » Accipe jam machinas; lucemque vel æthera pende;  
 » Materiam mirè transforma, multimodisque,  
 » Omnia tolle citô hæc velamina densa planetæ;  
 » Subjice jam tenues atomos in lance repostos,  
 » Et fulmen rapidum subjectum detine et arce.  
 » Mente vel elatâ super astra, relinque planetam;  
 » Perge giganteo sursùm, celerique volatu,  
 » Ac vacuum pelagum perlustra fulminis alis;  
 » Pondera et extremas stellas, metitor et astra;  
 » Nil alind ratio inveniet nisi nubila mentis,  
 » Quominus alta queant homines reperire cupita.  
 » Namque suo Qui orbes Verbo omnipotente creavit,  
 » Ac ipso Verbo mundum tam sponte redemit,  
 » Ipse suo Verbo tantum pia pectora quibit  
 » Lumine, quod penitus cupiunt replere, et amore.  
 ;Cœlica, et alma fides, didici quam matris in ulnis,  
 Vix mea cùm tenerum vagitum labra sonabant!  
 Sancta fides, olim percepta parentis ab ore,  
 Unica dos hodiè, quam mente et corde reservo,  
 Sicut avarus habet tectas sub stipite gazas;  
 Fraudis et erroris mea mens est libera, et expers;  
 Dogmata sancta Dei ut servus lætanter adoro;  
 Atque prius verè, quam talia munera linquam,  
 Quæ sola humanis præbes, Ecclesia Christi;  
 Antè etiam, tristis quam lux affulgeat ista,  
 Mille mea in frustis lyra confringatur acutis,  
 Quæ, quasi tela, meum configant corpus amarè.  
 Et prius ;heu! utinam mea lingua sit hæsa palato,  
 Atque meum brachium consumptum tabe macescat,  
 Quam verè infelix tua castra sacrata relinquam.





QUATUOR  
CARMINA GRATULATORIA  
AD SANCTISSIMUM PIUM P. IX. (Fel. record.)

S. S. PATRI

Summo ac Optimo Pontifici, PIO P. IX., Magno benè nuncupato,  
feliciter regnanti, pro ejus augustæ Coronationis solemnissimâ, et  
non antehac solitâ XXV anniversaria dié.

ODE.

Quæ mentes hodiè res nova perculit?  
Quæ rerum species non priùs obvia  
Humanos animos fulcit et irrigat?  
Quid mundo insolitus accidit?  
Ah! Quæ olim facilis dextra Diespitris  
Attendens precibus Josue fervidis,  
Titanem medio fixit in æthere,  
Dans devincere subdiù;  
Ipsa astrum rutilans, christiadum Ducem,  
Alnum Pontifcem provida sustinet,  
Ut soles Capitis (1) cernat et amplius  
Ut cunctas terat hæreses.  
Umbram qui gracilem, signa potentibus,  
Quadrantis docuit ire retrogradam,  
Ipse ævum retinet Patris amabilis,

(1) Dies Petri.

Præbens lætitiam bonis.

Qui quondamque rubo vim dedit aridæ,  
Ut flamas capiens, integra sisteret,  
Is Papam incolumem servat, et apparat  
Ad miracula maxima.

En nobis agitur magnificus dies,  
Quem numquam potuit cernere saeculum,  
Quem necdum licuit cœlitibus, neque  
Ulli conspicere anteā.

En fulgens hodie lucifer emicat,  
Qui orbes irradians lumine vivido,  
Erroris lubrici nubila dissipat,  
Ac illuminat inscios.

Oh! mundo celebrem lætitiae diem  
Cantate, o juvenes cum senioribus;  
Ac omnes hilares, voceque supplice  
Papæ fausta precamini.



Pastorum Pastor, Moses, Patriarcha supreme,  
Heres Missorum, præsidiumque potens;  
Jucundum Vinclum, mundi columenque, Paterque  
Qui Divi in terris munera sacra geris:  
Inclyte justitiae Fecialis, pacifer orbis,  
Qui manibus tensis omnia luce reples:  
Os sanctum Christi, cœlestis claviger aulæ,  
Quam reserare cupis, claudere nemini aves.  
Principis ecce hodiè nactus meritumque, diesque,  
Plerosque exsuperas lande et honore Patres.  
Tu verè es sanctus, quem lingua, utquaque rebellis,  
Spernere nulla potest, nec reprobare valet.  
Libera sancta tua, et mitis sine labe potestas,  
Caetera si pereant, sola superstes erit.  
Non homini es similis, piger, errorivè subactus;  
Falleris handquaquam; dicere falsa nequis.

Spiritu es afflatus, fidei, verique Magister,  
    Ac si omnes errent, firmissim in orbe manes.  
Ta, licet illusus, crudeli fune ligatus,  
    Golgothæ opus pergens grande, doloris Homo,  
Per medias acies inter crepitantia semper  
    Tela inimicorum, quæ minitantur, iens,  
Totque malis crebrò, tantisque laboribus actus  
    Irritus, læsus... vivere posse tamen  
Cœlitus, et sanctum facinus navare videris,  
    Doctrinam vitæ nocte dieque docens.  
Si nunc Europam nigrae obscurare tenebrae  
    Hæresis intendunt, motaque terra tremit;  
Impia si turba immundo de pulvere surgit,  
    Et leges calcat, juraque sacra terit;  
Classica Christiadum si tellus sanguine manat,  
    Patibulumque bonis incipit esse minax:  
Tu fidei clypeo munitus, plenus amoris,  
    Dulci spe pollens maxima signa facis.  
Sanctus in hoc sæculo, sub Te custode, vigescit,  
    Numinis afflatus, cuncta novare valens.  
Tu Christi solus poteris servare catervam;  
    Itaque in æternum vivito, MAGNE PIE.  
Ah! Felix vivax, mensuram nominis implens,  
    Totius ad mundi perpetuale bonum.





AD SANCTISSIMUM P. NOSTRUM  
PIUM PAPAM IX  
FELICITER REGNANTEM,  
pro ejus augustâ Coronationis solemnissimâ XXVIII  
anniversariâ die



### GRATULATIO

**U**mbras irè retrò celeres in fronte quadrantis  
Rex olim vidit, cœlica signa petens.  
Protinus à Divō majus nanciscitur ævum,  
Ut possit sospes dona referre Deo.  
Tunc agit exultans cœlo judaica grates  
Plebs, Domino aeterno carmina læta canens.  
Nunc Pius Ecclesiæ moderator et Arbitr̄ altus  
Lucidiora suæ signa salutis habet.  
Virginis in terris celsæ Pius auxit honores;  
Virgo memor Papam mirificare studet.  
Diva potens cœli, quæ fulgida subterit astra,  
Splendenti elypeo protegit alma Pium.  
Dulcè Pium deamat pulchri quæ est Mater Amoris,  
Incolumemque Senem sustinet ipsa manu.  
Sic Pius exsuperans Petri imperiumque, diesque  
Vivit, uti Divi pergere possit opus.  
Et vivet MAGNI mensuram nominis augens,  
Dummodò Mater eum clarificare velit.  
Hæresis interimet pravos ictusque dolosos,  
Ipseque Hydram, vivens, auspice Matre, teret.

Vivet! et infensi contemnet dæmonis iras,  
Dùm Christi intendat lucrificare greges.  
Et salvam faciet divinus Papa catervan,  
Pro quâ tot lacrimas fundere sæpè solet.  
Audiet has Dominus, quas in singultibus edit  
Nocte, dieque Pius, voce tremente, preces.  
Quâ frustra Omnipotens mundo miracula pandet?  
Aut res infectas ipse Creator aget?  
Nam Pius incassum, non naturaliter ævum  
Sic aget, ut vacuè talia signa forent?  
Ecce dies veniet, signata in sedibus altis,  
Quâ Dominator ovans Urbis et orbis erit.  
Ecce dies veniet fulgenti luce coruscans,  
Quæ pacem populis, lætitiamque dabit,  
Et propiùs veniet, quâ vulgus credit adesse,  
Quamvis jam sentit lumen adesse propè.  
Aurea tunc nostro in populo renovabitur ætas;  
Justitiæ incipient regna referta bonis.  
Error, et impietas fugient tremefacta per umbras;  
Ac libertatis splendida surget *Eos*.  
Gaudia concipias, oh Christi portio lecta,  
De cuius manibus ferrea vincla cadent.  
Absque auro citius jucunda redemptio fiet;  
Exulta nimium, Filia sancta Sion.  
Jubila sancta monet, cunctum memorata per orbem,  
Haec festiva dies, non celebrata priùs.  
Securi augurium nobis est nempè triumphi  
Cœlitùs a Domino vita tributa Pio.  
Alter erit Petrus, solium qui perdere Romæ  
Nec vivens poterit, luce nec ipse carens.  
Semper in Urbe Deo Sanctum servare placebit,  
Nam Petri Sedes inclyta Roma fuit.  
Sed nunc, oh Christi immaculata, Ecclesia sancta,  
Quæ in terris sperans, pressa dolore gemis;  
Non intermissis precibus pete culmina Olympi,  
Proque tuo Papa numina posce Dei.

Augustam Triadem veneranti voce precemur,  
Ut Magnum servet vivificetque Pium;  
In terrâ salvum faciat, semperque beatum;  
Neve inimica manus perdere possit eum.  
Denique post clarum, divine oh Papa, triumphum,  
Coelitis ad Sedes lumine plenus eas.





Summo ac Optimo Pontifici,  
**PIO P. IX, MAGNO,**

FELICITER REGNANTI

pro ejus augustae Coronationis XXX anniversariâ die.




ODE.

Maxime terrarum Princeps, et summe Sacerdos,  
Cui Divi in terris munus obire licet,  
Pervigil Israel custos, Patriarcha supreme,  
Fulgida lux hominum, Maxime Papa PIE:  
In TE expectantes hodiè magnalia coeli  
Lætantur cherubim, gaudet et omnis homo.  
Miris epithetis hodiè TE Ecclesia donat,  
Atque TIBI tribuunt nomina magna Patres.  
Tu novus Abraham cuncto acclamaris in orbe;  
Solus enim mundum salvificare studies.  
Tu benè Melchisedec reputaris in ordine Magnus,  
Nam Rex es pacis, justitiæque simul.  
Tu virgâ fidei, fretusque juvamine celi,  
Impietatis aquas dividis ipse manu.  
Erroris ventos frænans, animique procellas,  
Loetali nebula lumina nostra levas.  
Dæmonis adversos conatus frangis, et arces;  
Et tecum digitus cernitur esse Dei.  
Quiste non videat Mosis vi et dotibus auctum,  
Cùm tot per terras signa stupenda facis?

Alter es et Samuel, populi scutumque, decusque,  
Qui lectæ plebis lenia fræna tenes.  
In mirabilium numero crescente tuorum  
Invenit alta nimis pabula phantasia.  
Sic Deus e cœlo benedicit pontificatum,  
Longævum faciens, et sine labe tuum.  
Sic TIBI mcerentis terræ relevare dolores,  
Ac Patriarchatus pandere dona licet.  
Sic nimis exsuperans Petri imperiumque, diesque;  
Fluctibus in mediis Pacifer esse potes.  
Et spe splendescens, defixus lumina in altum,  
Et tensis manibus supplice voce rogans,  
Exorare doces mortalem Numinæ cœli,  
Ut non e firmâ decidat ipse fide.  
Sicque tui imperii extensis felicibus annis,  
Multæ super mundum cœlica dona flunt.  
Atque in apostolico et sublimi vertice sacro  
Dulcè supersessus, lumine cuncta reples.  
Inde potentatus, inopesqué vocare videris,  
Utpote evangelii diceris ampla tuba.  
Sic benè Christiadum columen, ductorque putaris,  
Teque Patrem totus noscere mundus avet.  
Vox tua, vox Christi, verum qui nunciat orbi;  
Quæque Dei afflatu cuncta novare valet.  
Unicus es mundi moderator, providus altor;  
Tu sòlus lapsos dignificare potes.  
Cœlitus ampla Tibi commisa est Vinea sacra,  
Quam plantare Tibi, vel resecare licet.  
Claviger in terris divinæ diceris aulæ;  
Limina nam cœli pandere cuique vales.  
TE Deus instituit mundi super omnia regna;  
Quæ Tibi in placeant dedecorata ruent.  
Os Christi, ac ejus Missorum Dux veneraris,  
Fonsque Sacerdoti, veraque origo manes.  
Mcerentes nitido solaris lumine cœli,  
Quod Sol justitiæ tradidit ipse TIBI.

Sedes sancta TUA in petrēa fuit arce locata;  
Ipsaque erit cunctis unica certa salus.  
Nil orci furiae poterunt adversūs eamdem;  
Namque ipse auxilium Divus, opemque feret.  
Undique in afflictis populis fit luctus amarus;  
Undique lamentis turbida terra fremit;  
Heu! quia rectores popularum non meditantur  
Corde, nec ex animo cœlica jura colunt.  
Secta ferox populos proprio vel nomine privat;  
Tetra greges vexat Hydra cruenta tuos.  
Haeresis orta recens solio Te pellere tentat;  
Tale malum facinus perfida turba patrat.  
Omnia trux coluber revolutus vertere quærit;  
Et totum mundum dejerat esse suum.  
Funditūs e terra Christum proscribere certat;  
Jusque novum mundo dat, libitumve novum.  
Regibus exscoliat populos, nudatque coronā,  
Et rebus dominos, templaque sancta sacris.  
Ac ipsas animas (quo nūl crudelius) arcet,  
E propriaque fide trudere quærit eas.  
Attamen, oh Pastor, placeat servare fideles,  
Et vi signorum pullulet alma fides.  
Pulvere de fœdo leges, et cœlica jura,  
Firmiter, atqne piè solus in orbe levas.  
Te e celso jüstum Rector prospexit Olympo,  
Teque per innocuas dirigit ipse vias.  
Non, si fortè cadant, justi illidentur in imis,  
Nam justis faciles angeli adesse solent.  
Nequidquām populi, proceresque, ducesque superbi  
Contra Te insurgent, corde tumente nimis;  
Nequequām pravæ gentes, Belialve sequaces  
In Te consilium mortis inire velint;  
Namque suum Christum, præcelsus Divus Olympi  
Fulgentem signis mirificare solet.  
Intereā precibus ferventer sæpè profusis,  
Lugentes homines dicere ritè doces:

« Oh Pater in cœlis, æterno lumine pollens  
In lapsas gentes protinus adveniat  
Cœlitis imperium: donentur debita nostra:  
Turba nec in baratrum chrismate lota cadat. »  
Denique post tantos, sancte quot sederis annos  
Ad cuncti populi, Papa colende, bonum,  
De Christi manibus capias, seu Matris amandæ,  
Æternum sertum, vel diadema tuum.





DE MIRABILI SS. P.

# PII PAPÆ IX

FIRMITATE IN TURBATORES



## EPISTOLA

Pauca, Fabi, rogo de Papæ virtute loquamur,  
Non homini æqualem credimus esse PIUM,  
Nostrum Pontificem. Minimè ad communia natus,  
Corpore in infirmo spiritus ejus inest  
Impiger, et firmus: nullo est errore subactus.  
Per jusjurandum voverat ipse Deus  
Tempus in omne suo Legato assistere præstò.  
Papæ Christus ait: «Cuncta per æva tibi  
Aësistens adero. Ac ideò venerandus in ævum  
Est alter Petrus, perdere qui solium  
Nequaquam poterit, quod Christus in Urbe locavit;  
Nam Domino Sedes unica Roma placet.  
Debilis, irrisus, velut agnus, Virque doloris;  
Interdùm verò fortis ut ejus Herus,  
Golgothæ opus grande exequitur; Per sæcula quanta  
Hoc fuit expletum nobile prorsùs opus!  
Papa docens homines, patitur, regnatque reportans,  
Quod non transfertur, nomen in orbe nitens.  
Nempe: Pater, Papa: hoc lingua, utcumque rebellis,  
Nomen adorandum tale negare nequit.

Libera sancta ejus, dulcis, generosa potestas,  
    Unica in orbe vetus, sola superstes erit.  
Hostis in hâc ipsâ re non secus atque fidelis  
    Consonat. At vero cōquare ita? Vera fides  
Catholica in totum prorsus distenditur orbem,  
    Ac ferè tercentum millia mille vigent  
Christicolæ; at quamvis sparsi, timidique morentur,  
    Et licet immensus nunc inimicus ei  
Protestantisimus surgat, tamen cōnde timorem  
    Ista caterva ferox, perfida, habere potest?  
Impius is cœtus jacturam pontificatūs  
    Prædictit promptam; percitus ardet eam.  
cōUnde igitur rerum fit desperatio tanta?  
    Papatus, dirâ fune ligatus, iens  
Per medias acies, inter crepitantia semper  
    Arma inimicorum, quæ minitantur ei,  
Semper ovans multâ celebratur laude perenni.  
    Extendens Christi nomen et imperium.  
Nulla extat mundi plaga, quamvis fortè latebit,  
    Et quamquàm lucis fortè inimica foret,  
Quæ Papæ influxu, fulgenti lumine sparso,  
    Non aspergenda in fonte salutis erit.  
Sic populos Papa expugnat. Talisque triumphus,  
    Quem Pius assequitur, sive doloris Homo.  
Quæ tot præ nostris oculis nunc scandala præfert,  
    Humana est ratio, debilis atque furens.





*De humanæ rationis imbecillitate,  
ac de firmissimâ Papatûs soliditate.*

---

EPISTOLA.

---

¶ Quando, Fabi, tamquam in nostris humana diebus  
Clauda fuit ratio? ¶ Quando inimica Crucis  
Tamque Deo adversans, quam nostro in tempore surgit?  
¶ Quando Dei in mundum turpiter ausa fuit  
Jura negare, ut nunc? Nunquam: tot scandala in orbe  
Sunt nova. Nunc ratio, radere quidquid inops  
Funditus ipsa nequit, novat, ad libitumque retorquet.  
Statutas leges, cunctaque honesta terit.  
Ipsa animos redigit, domat, in dubiumque perenne  
Injicit, et pariter corda subacta tenet.  
Pravæ ejus leges Christum proscribere certant...  
Jusque novum cunctis gentibus ipsa parat.  
His armis surgens, conculcat jura superna,  
Jusque omne humanum concenit, atque negat.  
Nomine jam nudat populos, regesque coronâ;  
Rebus heros spoliat fanaque sacra rapit.  
At quamvis timidos forsäm cæcare sophisma  
Nonunquam valeat, non tamen intùs eos,  
Atque bonum sensum prorsus pervertere pollet...  
Quapropter frustra vellere recta volet.  
At vero quidnam victricem detinet ipsam?  
Quomodò non RATIO funditus omne quatit?

Solus Homo leges servat, Christique catervam.

Numinis afflatus, cuncta novare potens,  
Custode hoc HOMINE, aeternè persistit in orbe.

Hic Vir pacatus, nomine Papa, Pater,  
«Non» humanae inquit rationi: «non» ait ejus

Hesterno juri; «non» repetensque, vagos  
Ejus conatus adversùs coelica jura,

Ac populi adversùs civica jura sacra,  
Disjicit. Invictus, quamvis nunc debilis extet,

Unus Homo humanum protegit omne genus.  
«*Nūm Petrus innocuus, sanetus, Christique Sacerdos*

*Urbis herus fiet, turgidus annè Nero,*  
*Crudelis latro, sævus dirusque tyrannus*

Qui proprii flamen numinis esse cupit?»  
Omnibus in sæclis apparuit irresolutum

Hoc problema: procax hæresis, orta recens,  
Solvore jam cupiens: «*Hunc Regem nolumus*» inquit,

Atque vias sequitur, quas Sinagoga monet.  
Clamores ipsos nonnulli, chrismate loti,

Turpiter et pravè sidera ad alta levant.  
Ut tunc, nunc pariter terrani obscurare videntur

Diffusæ tenebræ. Percita terra tremit.  
Fortè Neronis erunt igitur reclusa sepulchra;

At numquam poterit mortuus esse Petrus.  
Petrus...! post Christi formatus coelica terga,

Expergefactus voce et amore Dei,  
Vivit, et interdùm populus, qui conspicit altas  
Ejus virtutes, corde salutat eum.

Itaque cùm Sanctus de turbis Spiritus alnum  
Pontificem assumit, verba suprema Petro

Levites primus de more sequentia profert:

»Accipe Sancte Pater, hoc diadema triplex:  
»Tu Pater es Regum, mundi pastorque supremus:  
»Munera tu Christi sospes in orbe geris.





DE TEMPORALI  
R. PONTIFICIS DOMINATU.

CRUX ET TITULUS REGIUS.

ODE.

«Quod scripsi, scripsi.»

»*Nolumus hunc Regem*» quondam clamaverat audax,  
Quæ deicida fuit, perfida turba, ferox.  
»*Nolumus hunc Regem*» repetit modò percita turma,  
Quæ sanctum vellet sic abolere Pium.  
»*Hem! Judæorum Regem crucifige*» fremebat  
Plebs, quæ ausa est ipsum plectere morte Deum.  
»*Rex pereat Romæ*» similis nunc clamitat effrons,  
Quæ plebs Papatum radere prorsùs avet.  
Trux olim prætor, titulum super arbore ponens,  
»*Quod scripsi, scripsi*» firmiter asseruit;  
Nam supero afflatu magnas persæpè fateri  
Res perquam veras impia lingua solet.  
Plebs, ac Magnates, ut crux, titulusque perirent,  
Tentarunt frustrâ stabile utrumque manet.  
Sic frustrâ faciet stolidus quicumque benignum  
E solio Papam trudere querat hebes.  
«An Papa innocuus, Divi lectusque Minister,  
Urbis erit Dominus, tetricus annè Nero,  
Crodus, et immitis, dirâque tyrannide pollens,  
Qui Divi intendit laude et honore frui?»

At Christus regnat! Numquid cui semper adesse  
Per iurandum voverat ipse Deus,  
Orbus erit? Minime! Justo præponere sōntem  
Si quis nunc iterūm devius ansus erit,  
Haud mirum, si agnum perdat, sœvumque Neronem,  
Quo verè est dignus, ponere in Urbe velit.  
At Christus regnat! Titulum super arbore fixum  
Radere non poterit dæmonis atra manus.  
Papa ideò, triplici cinctus diademate, vivat,  
Romaque sit Papæ semper amata quies.





# IN PROSPERO

AC DESIDERATISSIMO ADVENTU

## Illm<sup>is</sup> ac Revm<sup>is</sup> Episcopi Ovetensis AD ASTURIAM.

### ODE.

Splendida jam redeunt auroræ fulgura lætæ;  
Nobilis Asturiae Sol sine nube micat.  
Ablatis tenebris, noctis caligine pulsâ,  
Lumine jam populos irrigat, atque fovet.  
Disciplinarum Titam, sophus unicus, almus  
Pastor, oves tenerè salvificare, studens,  
Pacifer in celebrem Pastorum pervenit Urbem.  
Ut proprium pascat, dives amore, gregem.  
Ecce piè accedens, cunctos benedit amanter;  
Ecce manu sancta chrisma salutis habet.  
Dessuper afflatus, penetrat mysteria rerum,  
Ac alter Moses, cœlitis auget opes.  
Nuper opus scripsit, monumentum firmius ære,  
Quo res aurato contulit ipse stylo.  
Quippè salutares canones, documentaque vitæ  
Corporis ad vires edidit utilia.  
Quid non de puris animabus, in ordine summo,  
Solerter poterit dicere Doctor ovans?  
Magnus, ut Albertus, discernit cuncta creata,  
Atque Creatorem perpetue laude canit.

Angelus, ut Thomas, mundi labentia temnens,  
Prædicat æternum magnificatque Deum.  
Guzmani ut Scboles, zelo, et dulcedine pollens,  
Erroris nebulas, insidiasque fugat.  
Nempè Sacerdotem magnum Deus extulit altè,  
Plebis nt Asturiae sit PATER, atque VIGIL.  
Veste salutiferâ Dominus superinduit ipsum;  
Sanctus et omnipotens Spiritus unxit eum.  
At quem multiplici cumulavit dote Creator,  
Fas sit naturæ munera reddere ei.  
Maximè ei gazas donet natura creata,  
Quas ipse ingenii robore, et arte colit.  
Proferat alma Ceres rubicundas undique messes;  
Thesauros properet terra aperire suos.  
Candida Flora, lubens largire fragrantia sertâ,  
Principis ut cingas tempora sacra tui.  
Prorsùs ei arridens fructus, Pomona, repende;  
Ambabus placeat munificare Patrem.  
India abundè ferens aurum, nitidosque lapisillos,  
Præsulis ante pedes optima dona jace.  
Aura, refrigerii locuplex, et dives odoris,  
Quæ in ramo viridi valdè sonora crepas;  
Prædulcis zephire, exagitans in palmite frondes,  
Jubila Pastori, deliciasque date.  
Ridentes fontes, alacri placidoque susurru,  
Lætitiam sanctam conciliate Sopho.  
Dulcis luscinia, et lenissima, suavis acanthis,  
Quæ ferè per myrtos curritis, atque rosas;  
Edite dulcisonæ citiùs modulamina vocis,  
Quæ sacras aures blandiùs allicant.  
Musice, eum plectris celebra, fidibusque canoris;  
In tantoqne die cymbala læta sonent.  
Aëra percurrat rutilis pyrotecnica gyris,  
Et motus rapidos discolor ignis agat.  
Plausibus innumeris turbæ per compita clament;  
Cantica Pastori laudis ubique canant.

Omnis honor Sancto detur, qui viribus altis  
Præditus, explicuit cuncta creata benè.  
Omnibus in tectis volitantia signa coruscent,  
Quæ cunctos animos lætificando juvent.  
Carmina, Pierides, Vati meditaminor almo,  
Qui summos apices ipse poësis agit.  
Dulcibus Asturiæ, plectris, cantate, Camœnæ,  
Namque Vigil noster Præsul et astur adest.  
Denique ovetensis popule, exi, et poplite flexo,  
Excipe Pontificem; præsidiumque tuum.  
Æternio grates tanto pro munere agamus,  
Ac omnes unâ voce canamus joi!  
Vivat in æternum Presul qui in nomine Divi  
Venit, ad Asturiæ perpetuale bonum.





IN SOLEMNISSIMA  
MAGNIFICÆ NECROPOLIS OVETENSIS  
BENEDICTIONE  
per Revmum. Episcopum peractâ.


ODE.

Sexta seri horâ, Augusti undecimoque Kalendas,  
Muneris excelsi mense priore sui,  
Eximius Doctor Vigil, almus Episcopus astur,  
Cui Fratris titulum nobilis Ordo dedit,  
Tùm mithrâ et baculo, ornatus tûm veste sacratâ,  
Solemnès fundens, plebe frequente, preces,  
Hunc campum sterilem, qui aegrè tulit hactenùs herbam,  
Cœlitis ad cultum reddidit ipse sacrum.  
Hic, ubi arabantur passim sinè fructibus arva,  
Signum constituit, imperiumque Crucis.  
Actibus augustis procerum numerosa corona  
Astigit, urbano praestite utroque Duce.  
Prætor, et illustres Magnates, poplite flexo,  
Divinas laudes hic cecinère simul.  
Fervida cunctorum mentes reverentia cepit;  
Præsulis eloquium turba silenter avet.  
Verba Magister ovans fecit tunc dulcè disertè,  
Quæ plebs et totus Clerus in aure tenent.  
\* Nunc, ait, exuviae mortales hic remanebunt,  
A rida dûm surgant ossa, sonante tubâ.

Corpora Sanctorum sint hīc in pace sepulta,  
Sintque per ēva horum nomina dicta benē.  
Justorum cineres veneremur ritē, repostos,  
Dūm manes Domino, supplice voce, damus,  
Cespite in hoc sacro jam Mausolea tenete,  
Sanctaue Necropolis fiat et iste locus.  
Exuvias tantum hīc possint inhumare fideles,  
Qui Christi leges, summaque jura colunt.  
Ossa tamen minimē infidi, pravique recondant,  
Nam Deus a reprobis separat ipse bonos.  
Mox super his tumulis, vivis orare licebit  
Pro jam decessis. Præcipit id pietas.  
Lex est Christiadum, pro fratre Diespitris aras,  
Orandi causā, visere sæpè pios.  
Lex est Christiadum, fratrum peccata piare,  
Ut puri possint perpeti luci frui.  
Fas est et precibus lacrimisque sepulchra parentum  
Lustrare, ut mores quisque novare velit.  
Fas est ut fratres pro vincitis debita solvant,  
Ut sic a duro carcere abesse queant.  
Amodò, mortalis, venies hunc sospes ad agrum,  
Ut tibi præmonito vita sit innocua.  
Amodò ad hunc campam poteris pietate venire,  
Ut recrees animam, civis honeste, tuam.  
Jurgia non hīc, sed ferē muta silentia regnant.  
Non hīc peccatum tetrica sceptra tenet.  
Hīc mortis spolia aspiciens mente serenā,  
Nam vitæ includunt semina onusta nimis.  
Maxima in hoc omnes documenta videbimus horto,  
Nam mortem memorans, vitia flere solet.  
Morte pius capit æternalis dona triumphi;  
Omnia post obitum dona fidelis habet.  
Dulce recordari creditis fata fidelis;  
Triste recordari pesima fata mali.  
Omnes e morte eruere admonitoria quimus:  
Mors funesta malis, est pretiosa bonis.

Non nebulas oculis, umbras non mentibus offert,  
Mors nisi peccatis commaculata foret.  
Verè mors tantùm peccantes terret ubique;  
Non autem justis incutit ipsa metum,  
Mors homines minimè terroreret tempus in ullum,  
Si unicus ad vitam transitus esset eis.  
Denique ad haec venias sacra cœmeteria, queso,  
Ut mortis fias, plebs veneranda, memor.  
Nemo beatus erit, qui stulto rideat, ore;  
Sed lugens, lugens ipse beatus erit.  
Et risum stolidum reprobant oracula cœli;  
Porrò pias lacrimas Biblia sancta monet.  
Hæc, oro, repetas loca, vi pietatis adactus,  
Ut pro te fratres sic aliquando rogent.  
Nam quâ mensurâ reputes plerosque gerendos,  
Hâc te mensurus protinus alter erit.»  
Talia Pastor amans Clero, plebique loquutus,  
Elevat ipse manus, et benedicit eos.  
Sic campus, nudus fuerat qui fructibus olim,  
Campus honestatis perpetè flore manet.  
Hic benedictus ager, bona spiritualia claudet,  
Quæ si quis quærat, pace bona inveniet.  
Hic siquis fuerit memorare novissima adeptus,  
Aeternæ mortis liber abire potest.





# Unio Catholica Matritensis

SUO EMINENTISSIMO PRÆSIDI

de solemnisimâ ejus augnste exaltationis  
ad Episcopatum XXV anniversariâ die reveren-  
tissimè gratulatur.

## ODE.

Murice qui sacro splendes, dulcissime Præsul,  
Tamquam Sol fulgens, Hesperiæque decus;  
Qui sanctum miris ornans virtutibus ostrum,  
Commisas animas dignificare cupis:  
Cœlitùs alta fuit postquam Tibi cessa potestas,  
Quinque effluxerunt lustra beata nimis.  
Nobili in Asturiâ zelo et dulcedine pollens,  
Primitùs egisti munus Apostolicum;  
Munus at angelicum potius vere illud habendum,  
Cùm memor est tanti muneris astur adhuc.  
Postea Castellam, fidei splendore potentem,  
Fervidus effecit zelus et ipse tuus.  
Optima pro patriâ navasti plurima gesta;  
Per Te plebs Christi dona salutis habet.  
Pabula sana tuis ovibus sinè fraude dedisti,  
Ut tutæ possent pace, bonisque frui.  
Mentibus æternæ præstas monimenta salutis,  
Nam res æternas, Cœlite dante, doces.

In medio Ecclesiæ multo inspiramine dives,  
Leniter os aperis nocte, dñeque Vigil.  
Præcelsam Sedem sanctorum penè virorum  
Clariūs illustras luce perennè novâ.  
Sic Pacis titulum Tibi dant oracula cœli;  
Sic ideo pacis munus obire vales.  
Pacifer eximius sancta acclamaris in Urbe;  
Sic Tibi discordes conciliare placet.  
Diva potens hodiè TECUM dispergit honores;  
Insimul et TECUM festa sacrata tenet.  
Alma dies verè celebrata in culmine cœli;  
Quâ Divæ laudes Unio læta canit!  
Sancta dies verè cunctum dicenda per orbem,  
Qua laudes recinit' portio fida TUAS!  
Porrò beata dies, celestis lumine clarens,  
Quæ spem firmavit, lætitiamque dedit!  
Jungitur hic hilarans hodie TUA turma fidelis,  
Ac epithalamium dedicat ipsa Tibi.  
Virginis auxilium, numenque Diespitris altum  
Unio, plena fide, supplice voce petit.  
Ut sis longævus, meritis cumulatus et annis,  
Uniter ex animo portio fida cupit.  
Hoc nempè augurium, veri spectabile pignus,  
Magnam spem nobis absque timore parit.  
Alma Dei Genitrix, quæ splendida subterit astra,  
Te forti clypeo proteget ipsa senem.  
Chlamyde fulgenti Virgo Te conteget alta,  
Ut patrum laudes exsuperesque dies;  
Sospes uti meritis fulgens, ævoque beato,  
Mensuram cumules muneris ipse Tur:  
Sospes uti colubrum truculentum trudere possis,  
Ac Jesu imperio robora summa dare:  
Sospes ut hæreticos vincas, syrtesque dolosas,  
Ac hydram crudam duriter ipse teras.  
Sospes ut innumeros Divo convertere adeptus,  
Alphonsos valeas, Eugeniosque sequi.

Tunc ætas placidè renovabitur aurea nobis,  
Amplexumque dabit pax bona justitiæ.  
Intereā, oh Pastor, tantum qui es nomen adeptus,  
Et pius in nostrā nosceris urbe nimis:  
Det Deus ut superes protentos Nestoris annos  
Cœlitis ad laudes, Hesperiaeque bonum.




## AD DULCISSIMAM MEMORIAM **MATRIS MEÆ.**

Jure mea in sæclum foret jheu! maledicta Camœna,  
Si nomen, mater, non memorabo tuum.  
Ter trinos menses tenerâ gestatus in alvo;  
Lacte tue mammæ postmodò pastus eram.  
Nectare et ambrosiâ fotum me dicere præstat,  
Namque tuus valdè sufficiebat amor.  
Cùm primas voces me balbutire docebas,  
Dulcia configens oscula in ore meo,  
Virginis et Jesu repetebas nomina sancta,  
Ut modò proferret talia lingua mea.  
Ipsa meum blandum formasti pectus amanter,  
Cùm me cogebas jugiter esse piūm.  
Ipsa Sacerdotis monquisti munus obire,  
Atque reliquisti cœlica consilia....  
Te Deus exaltet, mater, super astra perennè;  
Teque, patremque meum cuncta per æva beet.

AMEN.





# Ad SS. P. Leonem XIII

## CAURIENSIS

## Dominicana domus.<sup>(1)</sup>



### ODE.

Maxime Rex mundi, Christi venerande Vicari,  
Qui geris in terris Cœlitis ipse vices;  
Pervigil Israël custos, lux fulgida mundi,  
Qui cunctas animas salvificare studes:  
Tu erroris ventos frænans, arcensque procellas,  
Numen in auxilium, cœlicolasque vocas.  
Ordinis eximii, qui verum pandit in orbe,  
Ipse juvamen amas, subsidiumque cuius.  
Præclarum Thomam, sophiæ patremque, ducemque  
Qui in cœlis habitat dives amore Dei,  
Erranti mundo commendas nempe Magistrum,  
Altera ut humanos sacra Minerva levet.  
Te Deus, ut Regem, super omnia regna locavit;  
Ipseque cum Thomâ dividis imperium.  
Sceptra novo nuper Salomoni ritè dedisti,  
Quem stultos homines pacificare jubes.  
Et Sol Doctorum jucundè fræna recepit,  
Nam sophiæ Thomas arbiter esse valet.

(1) La Comunidad del Colegio de Corias (Asturias).

Jamque novus Moses divinis viribus utens,  
    Impietatis aquas dividet ipse citò.  
Unicus ideas hominum moderabitur altas;  
    Solus is humanos dogmata vera docet.  
Omnia cùm sævus *Coluber* pervertere quærit,  
    Cùmque greges vexet hydra cruenta tuos,  
Doctori angelico jus, imperiumque gerendum,  
    Tradis, ut e cœno cœlica jura levet.  
Et Sol eximus regiones jam irrigat omnes,  
    Et vi signorum crescit ubique fides.  
E celso Thomas jam nos prospexit Olympo,  
    Nosque per hoc magnum dirigit ipse mare.  
Nequicquam Satanæ gentes, Belialque sequaces  
    Infensi erroris semina prava serent;  
Nam Sol Doctorum nigras jam dissipat umbras,  
    Et mentes hominum luce rigare cupit.  
Fluctibus e mediis spectatur stella polaris,  
    Atque, Duce angelico, nemo perire potest.  
Inclyta Guzmani Soboles, spectabile Sidus,  
    In mundi tenebris, perpetue luce micat.  
Æternas grates agimus, Tibi, Maxime Pastor;  
    Æternas grates Ordo beatus agit.





# IN FAUSTO

AC DESIDERATISSIMO ADVENTU

# REGIS ALPHONSI XIII

AD ASTURIAM.



## ACROSTICHIS.

Valphonse! oh patriæ perquām venerabile nomen,  
Luce quod irradians vivis in historiā!  
Pluribus epithetis ornatum, laude refertum,  
Heroum speculum, labibus absque nigris  
Omnibus in patriæ fulges annalibus, atque  
Numine protectum, dives honore viges.  
Summa per Hesperiam clarè tua gesta probantur;  
Utpotè plena nitent luminis acta tua.  
Salve, nomen ovans, et cuncta per æva canendum,  
Dùm tantum celebrant nomen in orbe vivi.  
Ultrò Castellam magnam Asturiāque beatam  
Omnimò implesti pace, bonisque tuis.  
Divino nutu Alphonso Castosque, Sciosque,  
Et Magnos peperit nobile equestre solum.  
Celtiber ac astur tanto sub nomine pridem  
Implerunt mundum laudis odore suæ.  
Magnificum nomen, salve; nam gentis iberæ  
Unicè eris columen, conspicuumque jubar.  
Salve etiam, juvenis, noster Rex optime, salve,

Hesperiae scutum, præsidiumque valens.  
In te Christicola multo molimine sperant;  
Subque tuo auspicio ut pullulet alma fides,  
Prona piis labris gens numina summa precatur.  
Alphonse, oh, salve maxima spes populi,  
Nostræ laus gentis, juvenis spectabilis, inquam,  
In ejus manibus aurea sceptræ nitent.  
Asturiæ quondam Princeps, astrumque vocatus,  
Ex hodie nostros visis amore Lares.  
Num præ cunctis celebrat te fama Monarchis,  
Mirisque expletum dotibus ipsa canit.  
Asturiæ decus, et landes virtutibus auges,  
Teque ideò palmis astur habere cupit.  
Quid non festinet Regi præstare libenter  
Urbs, regni Scutum, Regis amansque sui?  
E quidnam renuct navare, ut corde profuso,  
Invictum cumulet lande et honore Ducem?  
Nuper magna tui admirans Teutonia claras  
Dotes ingenii, sidera ad alta tulit.  
Ipsa tui vires animi gens gallica tentat,  
Ae toto canitur nomen in orbe tuum.  
Rex igitur, benè pervenias, et pace fruaris,  
Ut nostrum populum perpetue laude regas.  
Multaque pro asturicâ peragas magnalia gente,  
Reges quæ deamat fervido amore suos.  
Et tantis opibus replearis coelitus exhinc,  
Xerxis ut innumeræ prægrediaris opes.





# Sacrum epithalamium

seu

AUREÆ NUPTIÆ REVMI. P.

FR. JOSEPH LARROCA, GENERALIS O. P.



¶ Quidnam lætitiam venerabilis excitat altam  
    Ordinis atque viros exhilarare valet?  
¶ Quæ res Guzmani Prolem, pietate nitentem,  
    Jucundans, alacrem reddit in urbe, et agro?  
¶ Cœtibus in sacris, ubi verum dicitur orbi,  
    Quod signum rutilans tecta per alta micat?  
¶ Quid novi in augustis penetralibus accidit Ædis,  
    Quò tanta exhibeat jubila turba pia?  
¶ Cùr nimis in Domino exultat, vel gaudia tanta  
    Inlyta Dominici concipit alba Cohors?  
¶ Quodve novum recipit benefactum, nuper ab alto  
    Cœlite concessum candida et ampla phalanx?  
¶ Organa cùr resonant hodiè, linguisque canoris  
    In Divi sanctâ concinuit Æde Dei?  
¶ Cujus in orbe dies celebrantur, et apotheosis  
    In vivis agitur Praestitis, atque Ducis?  
¶ Quis Vir apostolicus tam commemorabilis extat,  
    Tanta ut ei dentur gloria, laus et honor?

Quem super alma Virum cecidit benedictio coeli,  
Ut sit longævus, atque beatus humi?  
Estnè alter *Petrus*, potiusvè adamantina RUPES,  
Quæ Divi populum, turris ut alta, tegat?  
Ecce tubis centum respondet Fama libenter,  
Quæ clari Patris maxima gesta refert.  
Hic vir apostolicus, quem totus mundus honorat,  
Et plausu in numero perpetue laude replet,  
Ipse est, Guzmani qui munia cœlica pergens,  
Nempè vices ejus solus in orbe gerit.  
Ipse est, qui longos dūm vitæ adipiscitur annos,  
Plurima perpetuæ dona salutis habet:  
Ille Vir angelicus, Joseph de RUPE vocatus,  
Malleus errorum, Pacifer ipse hominum,  
Virtutis compos, vitiorum funditus hostis,  
Qui nostræ Asturiæ luxque, decusque fuit.  
Ordinis insignis nunc est Generalis et altor,  
Qui pulchrâ lauro tempora cincta tenet.  
Divus eum ditat virtutibus, atque diebus;  
Sicque memor grates nunc agit Ordo Deo,  
Vestibus induitur genialibus optimus Ordo,  
Ut magni recolat Præsulis acta sui;  
Nuptiæ ut aurificæ Patris celebrentur amati,  
Et Christi Sponsæ detur in orbe decus.  
Ipse hodiè in thalamo Reverendus considet auri,  
Et dives meritis, atque diebus ovat.  
Munera mirifici, longique Diespiter ævi,  
Dotibus in multis, largius egit ei.  
Quinquaginta annis mysteria sancta ministrans,  
Altaris columen, duxque, paterque manet.  
Interea Proles cunctum distenta per orbem,  
Gaudet et ipsa Patri splendida festa dicat.  
Munia magnifici explevit, scitique Magistri  
Per dena omnino lustra favente Deo.  
Artibus ingenuis, disciplinisque vacavit;  
Doctior, et doctis sanctior ipse nitet.

Guzmani pridem nostras adduxit ad oras  
Nobile vexillum. Cauria plura bona  
Præsule ab insigni magnâ cum laude recepit;  
Nunc tantum Patrem commemorare juvat.  
Hic opus incepit, granum reserendo sinâpis;  
Nunc planta excedit Libani abundè cedros.  
Hosce Minerva Patres, et Fratres edocet ipsa;  
Cauria nunc felix est paradisus humi.  
Rupe super nitidâ fundata est Cauria rursùs,  
Atque SILEX hodiè mœnia præbet ei.  
Mox pater Hispanos, gallos, italosque polivit,  
Conducens animas tramite nempè bono.  
India nuper eum conspexerat oceanensis,  
Undè tamen, peragens jussa superna, redit.  
Nunc prudens Joseph, Generalis in Ordine summus,  
In medio cœlo fulgida Stella micat.  
Munia perfectè complevit in Ordine cuncta,  
Perque gradus hodiè sidera ad alta meat.  
Sit Pater Omnipotens sæclum benedictus in omne,  
Nam Patri imprimis æva beata dedit.  
Filius Æterni exaltetur laude perenni,  
Namque humilem servum vertice in Arcis habet.  
Spiritus in sæclum Paracletus sit benedictus,  
Nam firmam petram servat in Æde suâ,  
Ut sit præsidium cunctis in cuspidे montis,  
Ac omnes Christi contegat, ipse greges.  
Sint Triadi laudes, quia Rupes, alta et aprica  
Resplendet rutilans candidâ operta nive.  
Candidior pietas ejus nive cernitur albâ;  
Rupe quoque est ejus firmior alma fides.  
Lætare in Domino, Guzmani exercitus insonis,  
Namque tuum, magnum cernis in Arce Ducem,  
Et nimium gaude, quia quamvis ipse senectam  
Tangat in extremis, absque dolore tamen  
Corporis ac animæ plene sua robora servat,  
Ut pravos frangat, debilibusque juvet.

Pange tuum decus, illustris cantabrica tellus,  
Cui magnos licuit semper habere viros.  
Tu quoquè concelebra natum, præfortis Easo,  
Quæ heroas pariens, ipsa calore foves.  
Ipse tuum carum recolas Fratremque, Patremque,  
Ac olim Sidus, nobilis astur, ama.  
Atque precare, ut ei portentos Nestoris annos  
Concedat Domini dextera aperta nimis;  
Vincat ut Eliæ pariter laudesque, diesque  
Ad nostræ patriæ perpetuale jubar.  
Denique, magne Pater, quem servo mente repostum,  
Accipe grati animi munus inane mei.





## AD PRÆSTANTISSIMUM

AC ILLUSTRISSIMUM DOMINUM DREM.

D. Fr. Raymundum Martinez Vigil,

EPISCOPUM OVETENSEM,

A SACRIS APOSTOLORUM LIMINIBUS REDEUNTEM.

---

### ODE.

---

Jam redit Titam nitidus, serenus,  
Noctis expellens tenebras obortas,  
Eminus lumen rutilans horizon  
Percipit astur.

Ora, vel vultus, animosvè fractos,  
Finis eclipsis recreare cœpit;  
Jamque Pastoris redeuntis astur  
Sibila sentit.

Urbe ab Æterna redit ipse sospes,  
Gratiæ dives, locuplexque honoris,  
Ut manu plena superûm bonorum  
Nos benedicat.

Praesul insignis, sapiensque Praeco  
Regis Alphonsi nimis alta gesta  
Extulit summis propè Vaticanam  
Laudibus Ædem.

Papa tunc Magnus solidas rependens,  
Præsulis dotes sapientis ejus,

Dixit: «Ad Petri Solium propinqua,  
Optime Frater.»

Claviger celi, Leo Papa summus,  
Asturis Patris merita annotavit,  
Ac eum donis ideò replevit  
Landeque celsa.

Nunc thronum juxtâ venerandus extat,  
Limine in coeli ferè constitutus:  
Compos æterni decoris per omnem  
Enitet orbem.

Ex foco lucum nitido, superno,  
Protinus magna irradiare pollens  
Fulgura, et lætos patrios rigabit  
Luce penates.

Et throno assistens, ubi Sanctitatis  
Maxima in terris nitet altitudo,  
Hâc ovensem cumulabit amplis  
Laude et honore.

Nam manu accedit generosâ, aperta,  
Pabula importans ovibus beatis;  
. Jam venit cunctis pius offerendo  
Chrisma salutis.

Angelus pacis, Pater, atque Pastor  
Plebis accurrit satagens salutis,  
Ac lares orbos hilarare prorsus  
Anxius optat.

Denuò mentes alere et beare,  
Atque defessis animis suarum  
Disciplinarum poterit vigore  
Ferre juvamen.

Frigidis robur dabit et calorem,  
Atque fervorem tepidis, et omnes  
Coget, ut justum faciant, bonumque  
Vi pietatis.

Oh, veni felix deamate Pastor,  
Ut tuis præstes ovibus levamen;

Dogmatis, nostris animabus, escam  
Porridge sanctam.

Orphanus Patrem populus reposcit;  
Turba conclamans inhiat Magistrum,  
Grexque Pastorem vocitat fidelis;  
Promptus adesto.

Ex tua sacra, Pater alme, dextra  
Æger expectat cupidè salutem,  
Sicut et panem quoque præstolantur  
Pauper, inopsque.

Utque aquas cervus sitiens requirit,  
Sic tuas Clerus volitans ad ulnas  
Lucidae gemmæ, labiis amanter  
Oscula figunt.

Prona Te lætè recipit caterva;  
Cernuus Patrem populus salutat;  
Ast ego, flexis genibus, seorsùm  
Concino, et oro.

Præsulis lauros nitidas triumphi  
Urbe in Æternâ, cano, comparatas;  
At precor Divum, Vigili ut perennis  
Gloria detur.





# CHRONICA NOVISSIMÆ SYNODI DICECESIS OVETENSIS.



**A**urea jam felix, et prisca revertitur ætas,  
In qua grex Christi valdè beatus erat.  
Jam Sol justitiae cunctos illuminat orbes,  
Et nigras nebulas dissipat, atque fugat.  
Jam redière dies, rutilantes luce serenâ,  
In quibus assequitur pascere Pastor oves.  
Adfuit alma dies, multos sperata per annos,  
Quâ Pastor Synodum, liberè habere potest.  
Præsul ovetensis, clarescens sideris instar,  
Cum clero in numero, qui pietate nitet,  
Nempe sub augustæ nostræ laquearibus Ædis,  
Insidet, ac utens ritibus ipse sacris,  
Vestibus indutus quoque pontificalibus, atque  
Summa Paracleti numina corde precans,  
Conventum sacrum fervore instaurat alaci,  
Atque suo Clero hæc dulcia verba facit;  
«; Oh quam jucundum, cum fratres plurimi in unum  
Conjuncti resident, concomitante Patre!  
Gratulor adventu de vestro, Clerici amati;  
Este salutati, pulchra corona mea.  
Portio sancta, tuis monitis assentiar altis;  
Utar et auxiliis, consiliisque tuis.»

—Tunc magno optatum sacrum molimine Coetum,  
Incipit Antistes, Cœlitis auctus ope.  
Is, quem constituit nuper jam Spiritus almus,  
Ut lecti populi Duxque, Vigilque foret;  
Qui vitem merito plantare, aut vellere pollet;  
Qui exiccare ipsam, sive rigare valet,  
Jam fundamentum jaciens, opus erigit amplum,  
Idque fide magna prædictus aggreditur.  
Ipse tribus primis Septembbris nempè diebus,  
Nullo momento temporis interito,  
Tertio et in nimiū clari anno Pontificatus,  
Priscorum, rutilâ luce, sequendo vias,  
Saceratam Synodus, celebrandam laudibus altis,  
In Sanctæ Triadis nomine lætus habet.  
Magni porrò dies numerosis plausibus acti,  
In queis ter Synodi Sessio lata fuit:  
In quibus Antistes, sacratum munus adimplens,  
Et clero et populo verba salutis ait.  
Hercle dies sancti, quoquè terque, quaterque beati,  
Ac digni vatum cantibus harmonicis,  
Plausibus historiae, ac æterno nomine digni,  
In quibus Asturiæ Praesul in Æde snâ  
Incepit Synodus, cœloque juvante, peregit,  
Cœlestemque dedit mentibus ipse cibum.  
Felicesque dies, signandi in marmore et auro,  
In quibus explendo nobile Pastor onus,  
Clerum significans, ipsum virtutibus ornat,  
Ac cuncto populo rectius aptat iter.  
Sancti porrò dies, memorandi semper in orbe,  
In quibus aucta fides, spesque peracta fuit.  
Pectora Christiadum Praesul solamine fulcit;  
Demissos animos erigit, atque ciet.  
Et clero canones, legesque fidelibus offert,  
Ad vitae frugem ritè perutilia.  
Jam disciplinam præsenti tempore laxam,  
Robore restituens, ipse vigore levat.


Vitia castigat, mores collaudat honestos;  
Magnas virtutes edocet ipse viros.  
Munus apostolicum zelo monet esse gerendum,  
Et fortis parochos speque. fideque parat.  
Ecclesiæ ad regimen documenta, ad codicis instar,  
Solemni ex cathedrâ plura leguntur ibi;  
Plurima restabilit Synodi desueta Tridenti,  
Quæ mente exciderant, vel tenuata vigent.  
Robore Pontificum quædam rescripta tenenda,  
Omnibus ante oculos protulit ipse Pater.  
Doctrinam legis reverens explanat, ut Esdras;  
Pastores et oves pane cibare cupit.  
Devotum zelum non fesso prædicat ore,  
Atque suo exemplo conmovet, atque docet.  
Dogmata si clero æternæ fert sancta salutis,  
Omnibus in Synodo Patribus illa placent.  
Præsulis afflagent simul alta scientia sancti,  
Et cleri pietas, ejus et integritas.  
Munera jam subeunt in mentem cuique obeunda;  
Jam cunctos pariter cœlicus urit amor.  
Voce Sacerdotes audita Presulis almi,  
Jam fieri ardenter omnibus omne volunt.  
Legum vel canonum bónitas in voce probatur,  
Et cuncto Clero dogmata lecta placent.  
Omnia proposita, excellenter in ordine dicta;  
Vocibus unanimis ritè probata manent.  
Intima sic inter præsentis jubila cleri,  
Ac inter plausus et benedicta Patrum,  
Finitam Synodum declarat Episcopus istam,  
A cunctisque pias postulat ipse preces.  
Tunc sapiens Synodi Promotor, et archisacerdos,  
Qui post Primorem primus in Æde sedet,  
Surgit, et eloquiis prolatis ore diserto,  
Hoc facit oratum, supplice voce, piu:  
« Legibus expositis Synodalibus, atque probatis  
Quæ ad cultum spectant Ecclesiæque bonum,

Ritè reposcendum statuit Liturgia sacra  
Quidquid privatum quisque necesse putat.  
Sic ego proptereà, populi Fecialis adinstar,  
Et cleri interpres, munia et ejus agens,  
Nempè duas tantum res, Præses amabilis, oro,  
Quas noster populus consequi abundè cupit.  
Melchior illustris, venerandus, civis honestus,  
Candida quem tenuit Dominicana Cohors;  
Guzmani Sobo'es, veluti Dominatio Vestra,  
Qui et primum vidit lumen in Asturiâ;  
Limina qui primò penetrans quæsita scholarum,  
Futile nîl fecit, vel puerile puer:  
Qui cùm Gymnasii devenit ad ostia puber,  
Grammata percoluit cum pietate simul.  
Postmodò qui in nostra Praeceptor floruit urbe,  
Sermonis latii domata laude docens;  
Qui insigni hoc Cœtu opitulanti bacchar adeptus,  
Ipse peritus erat notus in urbe benè:  
Splendida Guzmani qui amplectens signa, resolvit  
Clamores Christi, militiamque sequi,  
Et zelo exardens, et coeli dives amore,  
Ipse plagas omnes usque Orientis iit;  
Cùm jam Pontificis baculum cum laude ferebat,  
Sancta que jam poterat pabula ferre gregi;  
Turpis eum rapiens laceransque caterva cruenta  
Horridè et ejusdem membra sacrata scidit.  
Denique martyrium Tunquini sustulit atrox,  
Exuviasque sacras tristè reliquit ibi.  
Gloria magnifici resplendet in orbe triumphi,  
Angelicisque choris est celebranda quoquè.  
Cœlestis vitæ fulgentes Martyris actus  
Quis nescire valet? Inscius ecquis erit  
Ejus signorum præclarâ in morte datorum,  
Vel quando in duro carcere trusus erat?  
Æternæ laudes, à magno Martyre partæ,  
Orbem terrarum cœlico odore replent:

Nunc jamjam meritis plenus super æthera regnat,  
Pro nobis orans Cœlitis ante thronum.  
Eiusdem cineres ideo sunt gaza superna,  
Quæ nostræ abs dubio pertinet Asturiæ.  
Annè, Pater, placet, ut pretiosos Martyris artus  
Ad nestros reddi ritè precere Lares?  
Annè placet Tibi sinensi e regione reposci,  
Hâc ut in Æde queant laude et honore coli?»  
—Tunc majestatis locuplex ita Episcopus inquit:  
«Pectori erunt nostro gaudia summa nimis,  
Si dona ad Domini laudes adipiscimur ista,  
Quæ ardorem plebi lætitiamque ferent.  
Nos quoque dilectum Fratrem cognovimus olim,  
Isque tenet nostro corde in amante situm.  
Cominùs elatas virtutes vidimus ejus,  
Et Pietate Patris ædificare suâ.  
Quapropter placet, et nobis arridet idea  
Sacratos cineres Æde colendi in eâ  
Vivere sub tanti tutelâ Martyris altâ,  
Nostræ lux animæ deliciumque foret.»  
Postmodò consurgit Synodi Promotor et adit:  
Dicito, quæso, igitur, Clere, placetnè tibi,  
Præsulis ut veniam nostri obsecremus, opemque  
Martyris ut sancti protinus ossa petat,  
Accepto auxilio notorum nempe virorum?  
Et cuncti exclamant; Omnibus ista placent.  
Adveniant cineres, repetit Promotor, ad Ædem,  
Sub quicrum tuti tegmine permaneant  
Urbis ovensis majores, atque minores,  
Patres cum natis, proleque dulcè pia.  
Hic inter Synodi Patres numerantur amici,  
Cognatiique etiam, discipulique simul,  
Martyris illustris. Cineres ad templa vehantur  
Nostra, ut eis fiant clara patrocinio.»  
—Tunc Antistes ovans, fulgens splendoribus ostri,  
Exaltat Patres, et benedicit eos.

Fervidus ipse Deo grates agit Omnipotenti,  
Sancta quod hæc Synodus jure peracta fuit.  
At majora tamen fecundâ in mente revolvens,  
Pastor Ovetensis dona superna cupit.  
Jucundis phrasibus Jesu Cor prædicat alnum,  
Atque suos CORDI consecrat ipse greges.  
Denique, ut hic fieret longè pæclarior actus,  
Voce suâ Clerus sic data scripta legit.





# ACTUS CONSECRATIONIS

## DIOCESES OVETENSIS

### DEIFICO CORDI JESU.



**I**Dulce Redemptoris divinum Cor venerandum!  
Antistes, clerus, plebsque pia Asturiæ  
Sanctâ in Basilicâ, Synodo jam ritè peractâ,  
Una conjuncti splendida in Aede tua,  
Succensique tuo flagrante et cœlico amore,  
Nitimus hæc hodiè vota dicare Tibi.  
Nempè Creatorem mundi Te credimus esse,  
Te Salvatorem lingua perennè canit.  
Glorificatorem cunctus Te prædicat orbis,  
Teque beatificum Cor, veneratur homo.  
Sub sacris nuptum Speciebus, nubeque opertum  
Sic Deus es nobis, utpote verus Homo.  
Visere nos placuit Tibi, vitæ Fons et amoris;  
Cordibus in nostris hospes et ipse manes.  
Golgothæ opus cœptum contendis pergere semper,  
Et nos restauras, dignificasque pië.  
Cuncta dehinc fiant Divi ad laudemque, decusque,  
Et pacis pariant pignus, et omne bonum.  
Ocyüs intensos hominum medicare dolores;  
Mentibus e nostris nubila nigra jace.  
Sensibus in cunctis luces accende perennes,  
Ac nostras animas eripe ab hoste malo.

Absit et a nobis proprii intolerantia amoris,  
Peccati radix, omnis origo mali.  
Oh Cor amabile divini sanctique Magistri!  
Oh thesaure ingens cuncta bona exsuperans!  
Quis nos incensi tui amoris in igne crematos  
Ex nunc continuò vivere scire daret,  
Sicut et in sanctis altaribus urere semper,  
Ut nostras animas lucrificare queas?  
Ecce hodiè, oh Domine, ad sacras accedimus aras,  
Atque tuos proni sternimur ante pedes.  
Porro tui sumus, et res et possessio. Quidquid  
Ad nos, vel nostros pertinet, esto tuum.  
Spiritus, et corpus, cor, mensque, potentia, sensus,  
Tempus et æternum, vitaque, mors et honor,  
Divitiae ingentes, magnatūm pompa opulenta,  
Tristis conditio, duraque pauperies,  
Sunt omnino tua, et meritò Tibi cuncta sacramus  
Nam Tibi, Cor Jesu, cuncta dicare decet.  
Non aliud verbum, non lingua vocabula promat,  
Nil aliud cupiat cor, neque concipiat  
Mens unquam nisi quæ Tibi consentanea fiant;  
Sitque voluntatis norma sequenda tuae.  
Sint tua, cunctipotens Jesu, suspiria nostra,  
Affectus, gressus, omnia sunto tua.  
Nostra sit in vivis holocaustum vita perennè,  
Quod focus ardoris concremat ipse tui.  
Accipe vota, pie oh Jesu, quæ in pectore fervent,  
Virtutisque tuae robora confer eis.  
Ut sic permaneant firmè et constanter in ævum.  
Nobilis Asturiaæ fervida vota tene,  
In cuius tenerè præsentes nomine Cordi  
Dulciter offérimus vota precesque Tuo.  
Sectati usque hodiè cordis deliria nostri,  
Liquimus imperium justitiæque vias.  
Prosequi at impulsus divini Cordis amantes,  
Per totam vitam nuncque dehincque juvat.

Sæpiùs usque hodiè votum bonitatis habendæ  
    Icimus; at votum prorsus inane fuit.  
Hactenùs impulsus nostros virtutis egenos,  
    Viribus absque ullis quisque sequutus erat;  
Ast hodiè errores cognoscimus, atque fatemur,  
    Teque Deum solum dicimus et Dominum,  
Per quem sceptr'a ferunt reges, et fræna regentes,  
    Quem cœli laudant, cunctaque terra colit,  
Nostrum præsidium sis, Cor venerabile, semper,  
    Corda hilarans hominum pelliciensque simul.  
Nosque tuus populus dilectus, grex deamatus,  
    Atque tuo parti Sanguine nempe sumus.  
Cùm nos terribilis forsäm tentatio vexet,  
    Nos tege, et in medio vulnere Cordis habe,  
Fac ut et hic populus sancta servetur in Arcâ,  
    Donec ab hoste queat liber abire malo.  
Respic nos miserans; nostros defende parentes,  
    Et quot quisque sui pignora amoris habet.  
Respic tūm clemens inimicos, respice amicos,  
    Tamquam jus proprium, rem solidèque tuam,  
Cordibus in nostris solium stabilito perenne;  
    A cunctisque malis amodò pelle tuos.  
Nostra suprema quies esto, sanctissime Jesu,  
    Et nostras animas pectore conde Tuo.  
Ultima, quæ ex nostro suspiria corde redundant,  
    Accenso in vestrum Pectus amore fluant.  
Et nostras animas lætanter ad æthera perduc,  
    Ut Sedes habitent cuncta per æva tuas.  
Plausibus ista fuit, placitisque Sacratio facta,  
    Pompaque solemnis maxima in Æde fuit.  
Tunc designatus Coryphaeus, voce levata,  
    Ac alternatim, Clerns in Æde sedens  
Edidit hos sacros clamores, quisque precesque,  
    Quo facto hæc Synodus sancta peracta fuit.





# ACCLAMATIONES.



## CORYPHÆUS.

Æternas grates Triadi sanctissimæ agamus,  
A qua procedunt omnia magna bona;  
Cui honor et perpes debetur gloria jure.



## CHORUS.

Tu solus Dominus, tu Deus omnipotens.  
Qui cunctum navas opus, admirabile valdè.  
Te angelus, ac homines tempus in omne canunt.



## CORYPHÆUS.

Nempè Dioecesim Tibi consecramus in ævum,  
Oh Cor diuinum, foederis Arca potens.



## CHORUS.

Ite Dei ad fontes, et aquas haurite sonoras,  
Gaudia nunc homines Divus habere jubet.

Hæc aqua. quam vobis egomet donabo libenter,  
Pura erit, æternae fons salientis aquæ.



## CORYPHÆUS.

Grates, alma, Dei Genitrix, Tibi, candida Virgo,  
Quæ nunc et semper immaculata manes.  
Cum sanctâ Ecclesia puram Te credimus esse.



## CHORUS.

Unica formosa, et pulchra, Maria, nites.  
Hoc nos a sæculo incolumes, oh Virgo sacrata,  
Custodi, et mites fac humilesque tuos.



## CORYPHÆUS.

Augustæ Eulalie, clypeo, Asturiæque Patronæ,  
Ac sanctis, quorum corpora in Æde jacent,  
Glòria, laus et honor, benedictio dentur in ævum,



## CHORUS.

Laudemus sanctos nobili in urbe viros.



## CORYPHÆUS.

Et sanctum Papam, scitum, magnumque Leonem,  
Qui gerit in mundo Coelitis ipse vices.



## CHORUS.

Christus eum servet benè, et arceat omne periculum;  
Neve inimica manus damnet et angat eum.



## CORYPHÆUS.

Et nostro Patri venerando Præsuli amato,  
Cui Deus ingenium, consiliumque dedit.  
Quidquid in ejusdem corde ac in mente refovit,  
Ut benè opus cœptum perbenè perficeret.



## CHORUS.

Sit Deus Omnipotens benedictus cuncta per æva,  
Nam Patrem Vigilem constituitque Ducem.  
Sedulus hic custos animarum concelebretur,  
Nam fecit placitum, jussaque sacra Dei.



## CORYPHÆUS.

Omnes canonici et Primores nobilis Aëdis  
Ac etiam Parochi, Presbyterique simul,  
Qui illustrem Cœtum synodalem ritè obierunt;  
Qui studio imprimis, atque labore suo  
Curarunt Domini laudes, populique salutem...



## CHORUS.

Sunto salutati, sunt quia Castra Dei.

Fortiter absque morâ pugnetis, more virorum,  
Donec in extremis det diadema Deus.



## CORYPHÆUS.

Almæ urbi nostræ, Pastorum jure vocatæ,  
Quæ sedes olim magnificata fuit,  
Tunc quia præsidium, disciplinæque Magistra,  
Heroas sanctos edidit ipsa viros...



## CHORUS.

Omnia fausta Deus concedat nobili Oveto,  
Namque urbs abscondi, in vertice structa nequit.



## CORYPHÆUS.

Nunc autem Domino servire timore velimus,  
Et disciplinas discere amore Dei.  
Ne forsam Dominus justâ nos arguat irâ.  
Quæ ad pacem spectant, perpetuumque decus,  
Ut nobis laurum liceat retinere precemur.



## CHORUS.

Omnes opportet dicere «Fiat ita.»





# AD SANCTUM EVANGELIUM



Alme Liber, qui alti venisti ex culmine cœli;  
Quo melior minimè in manibus mortalibus extat:  
In te dictavit moralia dogmata Divus,  
Dans homini normam complendi munia rectè.  
Cœlica continuò per te mysteria pandit,  
Et docet humanos vitam per amare futuram.  
Tu præbes homini per quam documenta severa,  
Ut fieri possit semper, semperque beatus.  
Ipse doces omnes celi conquirere laurum.  
Lumine, sancte Liber, tu reples pectora speque;  
Per te, ut per scalas mortales sidera scandunt...  
Salve, magne Liber, septem munite sigillis,  
Te tamquam munus veneror cœlestequo donum.





# IMMUTABILITAS DEI.

## HYMNUS.

Tu solus, orbis Conditor,  
Persistis immutabilis;  
Tu solus omni in tempore  
Es ipse, et idem permanes.

Caduca mundi gloria  
Ut umbra vana perficit:  
Ubique pompa cernitur  
Ut fumus evanescere.

Sol, luna, et astra fulgida  
Fortassè perdent lumina;  
Tu solus, orbis Conditor,  
Persistis immutabilis.

Tempus revolvit omnia;  
Fortuna nam volubilis  
Vel alta tangit sidera,  
Vel fert in atrum tartarum.

Nuper fuit quod jubilum,  
Nunc funus est teterimum...  
Tu solus, oh Diespiter,  
Serenus exstas jugiter.

Planeta in hoc fit invicem  
Rerum frequens mutatio:  
Quod rhoëda dives antea,  
Nunc carrus exstat funebris.

Heri salus quod exstitit,  
Nunc ægritudo est tetrica.  
Tu solus, oh Rex cœlitum,  
Semper manes immobilis.

Tùm tempus it velociter,  
Sagitta ut it per aëra,  
Cimba ut per aequor turbidum,  
Cùm nimbus iras explicat.

Vivens homo fit incapax  
Præscire sortis exitum;  
Tu solus idem perpetim,  
Immobilisque permanes.

Avarus aurum colligit,  
Et dives ædes fabricat,  
Fruique uterque cogitat  
Auro, vel altis ædibus.

Sed parca, gazas proterens,  
Evertit et palatia:  
Tu solus, oh Sanctissime,  
Manes Deus per sœcula.

Quid pompa mundi est futile,  
Quam mundus amens diligit?  
Flos aridus, qui decidit,  
Vel gutta aquæ, quæ labitur.

Inculta vita provolat,  
Mortis sequens vestigia:  
Tu solus, oh Rex maxime,  
Vivis per omne sœculum.

Tristi vicisitudini  
Urbes manent obnoxiae...  
Turres ubi Cartaginis  
Extant? Ubi Sidonica,  
Tyrivæ sunt miracula?  
Ubi exstat ampla Assyria?  
Tu sola, Divi Civitas,  
Fundata perstas firmiter.

«Ubi emicant victorie,  
Quas Macedo olim contulit?  
Tot gesta, tot sunt copiæ  
Annalibus solummodò.

¶Oh, munde, siste, et respice,  
Quàm fluxus es, et labilis!  
Solus Deus per sæcula  
Æternus est, et Maximus.

Exclamet ergo Archangelus,  
Hæc verba mundo prædicans:  
«*Quis sicut orbis Conditor?*  
»*Is solus immutabilis,*  
»*Securus a periculis*  
»*Per cuncta regnat sæcula.*  
»*Is solus, orbis Conditor*  
»*Existit immutabilis.*»





## AD CRUCEM DOMINI

### ODE.

Lignea Crux, Christi quam celica membra sacrarunt,  
Quaque Dei vivi tincta cruore madet;  
Inclyta, et omnipotens Christi venerabilis Icon,  
Quae celi donum, vimque salutis habes;  
Unica spes maestæ, et collapsæ stirpis Adami,  
Vitæ etiam lignum, dona superna ferens;  
Altera es insignis, servatrix Arca Noëmi,  
Extra quam portum tangere nemo potest.  
Criminis, aut poenæ fueras ignobile signum  
Quondam; nunc autem dulce charisma daris.  
Veræ ignominiæ fueras nota foeda, perosa;  
Nunc pretiosa nimis sancta Statera nites.  
Quisque cruces alias conquerirat divitis auri,  
Atque vir illustris pectus inornet eis.  
Lignea quæ rubuit quondam Crux sanguine Christi,  
Est mihi præ cunctis Crux recolenda nimis.  
Omnes nempè cruces saltem sunt celica signa,  
Quæ humano generi sunt veneranda piè;  
Ast ego te pretio ditatam maximo adoro,  
Nam mea salvatrix unica adesse vales.  
Sic ego complecti, Crux, te desidero amanter,  
Et nidum medio in stipite habere tuo.

Sic ego nunc brachia exopto tua stricta tenere,  
Utpotè qui gazam prendere avarus avet.  
Tu ferè stultitia ¡heu! pereuntibus ipsa vocaris:  
Sed virtus justis esse suprema soles.  
Tu es fundamentum vere AEdis spiritualis;  
In te Ecclesia habet vim, columenque suum.  
Ex te dumtaxat currunt septena fluenta  
Sacramentorum, quæ omnia corda rigant.  
Ex te lux oritur, cunctorum fonsque bonorum;  
Ex te peccantis provenit et venia.  
Ex te justorum procedit gratia summa;  
Per te cœlitibus gloria tanta datur.  
Alma fides fueras Patriarchis, spesque Prophetis;  
Robur Martyribus, lux, documenque Sophis.  
Ex te procedit monachorum vita severa;  
Per te virtutes limpida virgo colit.  
Tu, tamquam terras foecundat rivus aquarum,  
Pascua christiadum læta et amena facis.  
Nulla fides exstat sine te, spes nulla refulget;  
Nulla salutaris crescere planta potest.  
Ex te confixus Sanctissimus ipse pependit  
Filius AEterni... Cuncta proindè vales.  
Tu Petri et Pauli lamentis vim tribuisti,  
Ac Magdalenæ fletibus auxilium.  
Tu benè conversis peccantibus ipsa favebas;  
Per te de fœdo pulvere surgit homo.  
Per te lætantes obiti de morte resurgent:  
Lumina das cæcis, cernere ut alta queant.  
Deomonis incursus frangis, frænasque superbos;  
Ac atris vitiis fræna adhibere soles.  
Firmus es obsessis murus, non jam superandus,  
Fessorumque quies, corque, caputque virûm.  
Unica libertas servis, diadema monarchis;  
Scutum pauperibus, debilibusque salus.  
Tu es mundo columen; templis es gloria, lausque;  
Scandala judæis, ferrea virga malis.

Omninò castum juravi me esse futurum...  
Propter te solùm, Crux veneranda, et ero.  
Denique conversus toto te ex pectore adoro,  
Nam Deus in brachiis ipse tuis periit..  
In virtute tuâ confido, Crux benedicta:  
Me salvum facias terque quaterque rogo.





AD CORDUBAM,  
PROPTER FAUSTAM REVMI. P. FR. ZEPHIRINI  
PRÆCONIZATIONEM GRATULATIO.

ODE.

Corduba, quæ Senecâ celebraris utroque beata,  
Cujus in historia fulgida gesta nitent;  
Arx, ubi disposuit solium divina Minerva,  
Virtutis sedes, magnificanda nimis:  
Urbs, ubi multiplici cultu ac splendore priores  
Magnates proprium constituere situm;  
Quam valde insignem doctrinâ et laudibus olim  
Ossius instituit, duxque Paterque simul.  
Munera præ cunctis superi tibi magna dederunt;  
At potiora dehinc numina dona dabunt.  
Præsule si nuper viudata, ac orphana flebas,  
Dum crebris precibus sidera summa petis,  
Protinus excelsi magnus Moderator Olympi  
Exaudit facilis fervida vota tua.  
Fama super zephirum pennata tetendit in Urbem,  
Et Zephirini alnum nomen in orbe sonat.  
En tibi Pastorem cecinit Tuba mystica sanctum;  
En tibi de cœlo nuntiat esse datum.  
Papa Pius, veri ex quo sancta oracula manant,  
Afflatus supero consecrat ore Virum.  
Ordinis eximii, qui verum prædicat orbi,  
Filius, Asturiæ gloria, dulce decus,

Qui inter doctores fulget sanctissimus omnes,  
Ac inter sanctos eminent ipse prior:  
Qui artibus ingenuis in cunctis unicus extat,  
Qui ingenii est verè viribus alter Atlas:  
Inclyta Guzmani Soboles, spectabilis Astur,  
Qui mundum cumulat laudis odore suæ,  
Desuper est tibi donatus Pastorque, Paterque...  
Jubila jam capias, Urbs deamata Deo!  
Et gaudie in Domino, felix hispanica tellus,  
Atque tuum, flexo poplite plaude sophum.  
Candide Guzmani, sancte et venerabilis Ordo,  
Qui elatam Prolem jam super astra tenes,  
Exulta, et gaudie; Zephirinum conspice magnum,  
Qui in candelabro luce micante nitens,  
Nostrum jam populum vitae monimenta docebit,  
Ut benè sic valeant perpetue pace frui.  
Hæresis interimet rabiem, morsusque dolosos,  
Infensamque hydram præteret ipse pede.  
Talibus auspiciis auri renovabitur ætas,  
Paxque dabit gratis oscula justitiae.  
Omnibus in populis Sapientia sceptra tenebit,  
Cunctaque procedent, Corduba, fausta tibi.  
Nectare, et ambrosiæ verbi saturabimur omnes;  
Vescetur butyro, melleque iberus homo.  
Plurima messis erit cunctos congesta per agros,  
Et mites fruges fusiùs arva ferent.  
Mentibus æternæ præbebit pabula vitae,  
Nam res æternas coelitus ipse sapit.  
Nostris temporibus pretiosa charismata pacis,  
Jamque diù plebi dona cupita, dabit.  
Talia signa solet patrare scientia vera,  
Talia virtutes signa patrare solent.  
Interea, oh sapiens, tantum qui nomen adeptus,  
Maximus in toto nosceris orbe sophus;  
Dent utinam fata, ut reverentiùs osculer Ostrum,  
Atque tuos sanctos, oh Zephirine, pedes.



## Actus amoris et doloris.<sup>(1)</sup>



Me minime alliciunt, Deus, ad Te prorsus amandum,  
Quae promisisti cœlica dona mihi:  
Infera nec perpes reprobis ærumna parata,  
Ut noxas fugiam, Christe benigne, movet.  
Allicis, oh Jesu, Tu solus de arbore pendens;  
Allicit et facies mœsta et amara tua.  
Et moveor, plagis cùm Corpus cerno refertum;  
Me crux effussus, verbera, morsque cœnt.  
Et tanto, oh Domine, erga Te sum motus amore,  
Ut, dempto cœlo, diligenteris adhuc,  
Ac orco ablato, Te, Jesu, corde timerem.  
Nil opus, ut dones munera, Christe, mihi;  
Nam si quod spero, minimè sperare liceret,  
Ut modò Te deamo, diligenteris ita.



---

(1) Es traducción del conocido soneto: «No me mueve, mi Dios, para quererte...»




# !INFERNUS!

*Recordare novissima tua...*

Lugubris est locus in centro, tellure sub imâ,  
Tetricus, horribilis, multoque pavore repletus,  
Tormentis plenus, simul et tortoribus atris,  
Intùs ubi exardens sitis insatiabilis urget,  
Quominùs emanent fontes, neque rivuli aquarum!  
Est ibi dura fames, numquam saturabilis, atrox;  
Lucis ibi radios oculus non cernit in ævum;  
Auri non sonitum licet exaudire placentem...!  
Perpes ibi est horrens agitatio, terribilisque!  
Nec pax, nec requies animis solamina præstant!  
Sunt ibi inextinctæ lacrimæ, sævique dolores,  
Ærumnæ æternæ, rabies, horrenda gehenna,  
Ignis ubi æternis, flammisque voracibus ardet!  
Plurima ad ingressum reprobis patet horrida porta;  
Nulla tamen patet, exire ut de carcere possint!  
Limine in infando moritur spes tota per ævum!  
Vis tormentorum stabit sine fine, per horam  
Quæ non finitur! Tam tummodò limitis ejus  
Conscius est Divus. Locus attamen iste nefastus  
Cum tot tormentis non moverat ora serena  
Cœlitis æterni, qui fecit, ibique locabit.  
Infernū reprobis fabricavit Conditor altus,  
Sicut et humanis finxit viventibus orbem,  
Sicut spiritibus cœlestibus æthera fecit.

Justitiam /Divi infernus denuntiat amplam;  
Terra Dei monstrat bonitatem, vimque potentem;  
Cœlum significat magnalia Cœlitis almi,  
Vel suprema, suis quæ Divus præmia servat.  
Hei mihi, qui toties, transgressus jussa superna,  
Æternum merui perquam miserabilis orcum!  
Ats ego, qui vovi cunctum TE pangere in ævum,  
Quomodò in inferno possim tua dona referre?  
Pœnitet !heu! me; peccantem me pœnitet esse!  
Me ad TE converte, oh Domine, et convertar abunde:  
Crimina parce mea, et miserans peccamina dele.  
Ne servum cadere in baratrum permitte fidelem,  
Namque Cruore Tuo sacro sum, Christe, redemptus!..  
Non propter me, sed propter tua Vulnera sacra,  
Ne servi tradas animam tortoribus orci.





IN AUREIS Nuptiis  
SS. P. N. LEONIS XIII  
FELICITER REGNANTIS.

SACRUM EPITHALAMIUM

*Lumen in caelo. (1)*

Plena prophetiae completio fit Malachiæ,  
Qui Sancti augurium prætulit ipse Patris.  
Enitet in medio sidus spectabile caelo;  
In medio Ecclesiæ lux quoque magna micat.  
Omnes jucundat, recreatque Diespiter orbes;  
Natura induitur veste nitente suâ.  
Floribus extinetis, resplendent prata lapillis;  
Frigoris horrores aspera laxat hiems.  
Ictus terrificos boreas, furiisque remittit,  
Ut liber possit navita arare salum.  
Jam nimbi horrendus cessat fragor, atque procella,  
Ut tuta immensum cimba per æquor eat.  
Classica vel litui resonare siere parumper,  
Ac ædis Jani limina clausa manent.  
Omnia disposuit summus sic Rector Olympi,  
Ut cum pace vices ejus in orbe gerens,  
Unicus in terris cœlestis Claviger Aulæ,  
Hanc celebrare diem, pace favente queat:

(1) Profecia de San Malaquías relativa á nuestro gran Pontífice León XIII.

Nuptiae ut aurifcae Papæ recolantur in orbe....

Hæc est christicolis anxia, anhela sitis.

Divus Eum miris virtutibus auxit et annis;

Ditavit meritis, atque diebus Eum.

Atque Sion Ipsum præcelso in Monte locavit,

Sedulus ut Solymis invigilare queat.

Alter Melchisedech summus sapiensque Sacerdos

Est flatus a Summo Cœlite Papa Leo.

Dicitur Os Christi, Petri successor, et Heres,

Æternusque Lapis, quem super alma viget

A Christo Domino fundata, Ecclesia perpes:

Æneus est murus, qui benè munit eam.

Israel Custos, selecti Pastor ovilis,

Qui in montis positus vertice cuncta videt.

Cœlica Presbyteri jam denis munia lustris

Ipse obiit sospes.... *Laus sit, honorque Deo!*

Is novus est Salomon, quem jam Sapientia cœli

Munerat, atque suo lacte Minerva cibat.

Maximus est Vates inter dulcissimus omnes,

Cui nimis arridens casta camœna favet.

Ipse potentatus subigit ratione potenter,

Ac magnos reges flectit amore suo.

Is gerit imperium pietatis in orbe perenne,

Et cunctas animas consécrat ipse Deo.

Ipse inter gentes rixas devitat et arcet;

Et quamvis minimè tela vel arma gerat,

Unicus in mundo Moderator, et Arbitr extat,

Cui reges oculos vertere ritè queant.

Is manibus tensis a Divo jugiter orat,

Ut non deficiat regibus alma fides.

Josua Is est alter, qui solem sistere cogit,

Si hoc signum fieri fortè necesse putat.

Is tenet in dextrâ sceptrum moraliter orbis,

Et pacem mundi corde vel ore petit;


Quam ferè consequitur magno molimine valdè,

Sicut in hoc nostro tempore gesta patent.

Pastorum Pastor, ovium servator et altor,  
Humanum curat dignificatque genus.  
¶ Talia quis tentans imitari facta superna,  
Laudis ad æternæ culmen adire valet?  
Solus Is in mundo apotheosim jure meretur,  
Landesque innumeras undique in orbe capit.  
Solus Papa, Pater, generis Curator Adami,  
Ex toto laudes excipit orbe pias.  
Sic ideò Patris celebrantes festa, diesque,  
Conveniunt hilares filii in Æde Dei.  
Jubila sic ideò reverens Ecclesia monstrat,  
Signaque in elatis turribus alba micant.  
Gaudia sic homines ostendunt maxima ubique,  
Atque canunt juvenes insimul atque senes.  
Sic quoque congestis magnis splendoribus artis,  
Cælati argenti pondus abundè nitet.  
Omnes de Saba veniunt, Tibi, Papa, ferentes  
Munera, nàm solum Te super astra vident.  
Nunc Reges Arabum, vel Tharsis, et insula tota  
Ante Tuos gazas projicit ipsa pedes.  
A magno Turcâ offertur Tibi magna supellex;  
Lumine nàm quamvis is careat fidei,  
Primorem recolit Te pacis in orbe satorem,  
Utque Dei missum Te decorare cupit.  
India grata suas donat Tibi denique gemmas;  
Magnates Africæ munera rara ferunt.  
Tota Tibi Europe thesauros porrigit amplos,  
Namque Herus Europæ ac Arbiter orbis eris.  
Artes ingenuæ pro Te sua gaudia pandunt;  
Carmina lœta Tibi sacra Camœna dicat.  
Sub sancti templi resonant laquearibus amplis  
Organa cum citharis, dulcè canente choro.  
Ridentes vultus, hilares faciesque notantur,  
Arva per ac urbes hanc celebrando diem.  
Clericus, et laicus, miles, vel tardus arator,  
Plebs et Magnates jubila quisque capit.

Lætantur pariter lactentes et seniores;  
Gaudia puber habet, sicut et ipse vetus.  
Nempè Tuum festum cuncti celebramus in unum,  
Nam laudes PATRIS quis removere potest?  
Non secùs in casulis, ac in regalibus aulis,  
Sunt hilares hodiè servus et altus herus.  
Et cuncti Divum benedicimus Omnipotentem,  
Namque Tibi largè tot benefacta dedit.  
Namque beata Tibi dedit, et sinè labibus æva,  
Ut magnam laurum sospes habere queas.  
Quamvis nunc alter Petrus, detrussus in atro  
Carcere permaneas, vincula fracta tamen  
Angelus expediet, citiusque redemptus abibis:  
Talia præmonstrat coelica et alma fides.  
Ecclesia exorans, nunquam defessa, precatur;  
Fervida vota Deo nocte dieque dicat.  
Quid, licet immensum, poterit non consequi ab alto,  
Cùm plebs non cessat sancta rogare Deum?  
Si plenus fidei montes vir transtulit olim,  
Sicut discipulis voverat ipse Deus,  
Assequi in hoc nostro quidnam non tempore possit  
Fundens cum lacrimis fidem caterva preces?  
At regnet Christus, regnetque Vicarius ejus,  
Amboque in aeternum sceptrâ superna ferant.  
Si Petro licuit romanam condere Sedem,  
Quomodo non Sedes Roma Leonis erit?  
At Jesus regnat, soliumque per æva tenebit;  
Quomodo eum poterit trudere Sede Nero?  
Si jam per sæculum diri periire tyranni,  
Si jamjam pérīit turgidus ipse Nero,  
Crude subalpine, heu! cur filius impius audes  
In vinclis tanto tempore habere Petrum?  
Quomodo non sentis durâ in cervice cadentem  
Ensem justitiæ? Cæce monarca, tremet!  
Angelus, aut homines, perfusi luce supernâ,  
Vincula pol solvent... Papaque liber erit.

Te licet invito, aut potius te non renuente,  
Mox erit Urbs Domino jure subacta suo.  
Protinus e Roma radentur scandala prava,  
Et Sol justitiae luce replebit eam.  
Reddita erunt italis iterum laudesque decusque,  
Et veri ac æqui prodiet imperium.  
Hæc est ampla fides, quam pectora tota reponunt;  
Hæc promissa manent edita ab ore Dei.  
Cœli et terra ruent; at Divi verba vigebunt;  
Et Deus est verax, justitiamque facit.  
Jubila quapropter capias, Sanctissime Papa,  
Qui Petri sequeris, perpetue laude, vias.  
Nunc cadet e sacris manibus confracta catena,  
Ut sospes fias Urbis et orbis Herus.  
Aurea nunc ætas mundo renovata redibit,  
Cunctaque erunt mundo conciliata bona.  
Golgothæ opus pergehs, ȝannon Thaboris habebis,  
Lumen, ut ante tuos clarus adesse queas?  
Nonnè tuas poterit poenas lenire parumper  
Tanto in supplicio cernere tanta bona?  
Talia jam sperant Clerus, populusque fidelis;  
Talia ab Æterno servulus oro Tuus.





# Oratio S. Leandri

IN TERTIO CONCILIO TOLETANO.



Illustris Patres, venerabilis, inlyte Cœtus,  
Gloria Christiadum, pulchra corona, jubar;  
Nobilis imprimis Gothorum natio clara,  
Exemplum Regis, consiliumque sequens,  
Ad nostra advenit festinans castra sacrata,  
Dogmaque jam Christi jurat habere piè.  
Oh benedicta dies, nobis que jubila tanta,  
Taatum solamen, lætitiamque parit!  
Hoc festum superat perquām solemnia magna,  
Quæ fidus populus concelebrare solet.  
In festis aliis colimus mysteria sancta,  
Sivè recordamur dona superna Dei:  
Gaudia nunc autem nobis spectabile festum  
Maxima producit; corda beatque pia.  
Inlyta Gothorum gens, illustrissima valdè,  
Errans usque hodie in tramite nequitiae,  
Principis hortatu, et cœli inspiramine jutæ,  
Dulce Redemptoris denuò ovile petit.  
Hæresis infandos errores læta relinquit,  
Et Christum noscens, cernua adorat Eum.  
Æternas Domino grates reverenter agamus,  
Qui hispano populo tot benefacta tulit!

Immensas etiam præclaro Principi (1) agamus,  
Qui sancto exemplo, et voce potente simul  
Fecit eam gentem doctrinas linquere pravas,  
Luceque Evangelii nempè nitente frui.  
Rex noster gentem Gothorum reddidit amplam,  
Eiusdem nomen sidera ad alta levans.  
Gens tota ingreditur Christi in delubra sacrata:  
¡Oh felix popule, et natio clara nimis!  
Si res terrenæ, cùm perquam prosperè habentur,  
Amentes homines reddere sæpè solent,  
¿Quis mentes hominum feriet jucundior actus?  
¿Quisnam lætitiae ponet ubique modum?  
¿Jubila quis minuet, quæ nostro in corde redundant?  
Gothica cùm Christum Natio tota colit,  
Et Regis jussu ad celestia regna vocatur,  
¿Quid valet humanos lætificare magis?  
Fratres ¡heu! nostri in tenebris hucusque jacebant...!  
Nullaque spes equidem certa salutis erat.  
At Deus Omnipotens miserans prospexit eosdem,  
Et cunctis etiam dona superna dedit.  
¿Martyris an fieret sterilis crux Hermenegildi?  
Annè piæ lacrimæ, votaque vana forent?  
Sol hodiè solito fulgentior emicat amplè;  
Natura omnino ridet, et est hilarans.  
Congaudet celum, vacuis quia Sedibus altis,  
Præclaras animas præparat ipse Deus;  
Et quia tot cives, qui flebant mortis in umbrâ,  
Jam nunc heredes Cœlitis esse queunt.  
Congaudet tellus, duris quia consita spinis,  
Frondibus et nitidis floribus ipsa viret.  
Floribus ex istis, Patres, jam texite serta,  
Et pulchræ cingant tempora vestra rosæ.  
Spargere si licuit lacrimas hucusque profusas,  
Lilia jam legite, et mitia poma nimis.

Jam rubras segetes metere, et servare potestis,  
Omnibus in Dcmino gaudia habere licet.  
At non lætitia hispanis includitur oris,  
Sed mundum totum jubila tanta replent.  
Immensos orbis fines Ecclesia claudit,  
Frigentes zonas, igniferasque plagas.  
Attamen hæc dives Provincia munere cœli,  
Nobilis et locuplex, extat in orbe cluens.  
Exemplum teneant gentes, quæ cœlica quærunt,  
Atque Dei jussis, consiliisque favent.  
Nemo negare potest Divi promissa colenda,  
Quique suo in tenero nos cupit esse sinu.  
*Una fides, unus Deus, et baptisma sit unum,*  
*Nam Pater est unus, unaque origo fuit.*  
Ex nunc conjungant eadem nos vincula amoris,  
Ac unum nobis pectus habere juvet.  
Infremat invidiâ Satanas, rabieque dehiscat,  
Qui ærumnis nostris antè gavisus erat.  
Si ex nunc pax fiet, quoque et unio gentis iberæ,  
Infremat et doleat perfidus ille draco,  
Qui mala tot nobis discordibus ipse paravit.  
Gens nostra immensum munus adepta fuit!  
Cantemus Domino, qui Martyris Hermenegildi  
Sanguine commotus, pro pietate sua,  
Pacis magnificum donum concessit iberis;  
Pangite cum sanctis angelicisque choris:  
«Gloria in excelsis Divo, et pax candida fiat  
In terra humanis, qui benè recta volunt.»  
Terraque quandoquidem cum cœlo foedera fecit,  
Suppetat et nobis perpetue pace frui.  
Ac simul interea dūm dona superna petamus,  
Pro nostro placeat fundere Rege preces.  
Pro nostro oremus magno et prudente Monarchâ,  
Qui hoc sanctum gestum contulit ipse piè.  
Divus eum servet magnum, faciatque beatum,  
Ac ejus regnum fulgida ad astra levet.

: Longævus vivat Recaredus, regnet et amplus!  
: Posteri eum memores cuncta per æva colant!  
—Et Patres omnes respondent dulciter unâ:  
: Vivat in hispanis unio, et alma fides!  
: Vivat Rex noster Recaredus magnus et amplus!  
: Ejus laudetur nomen in æva cluens!





AD CLARUM  
CATHOLICUM REGNI PROCURATOREM



CARMEN.

**C**ongressūs claror, columen, Comitique corona,  
Catholicæ celeber custos, cultorque catervæ;  
Conspicuum elypeum, conservatorque clientum,  
Crimina contundens, concussoresque coërcens;  
Commendatorum certatim commoda curans,  
Cunctis christicolis certè cleroque colende;  
Consilii compos, curator callide, comis,  
Consultorque cluens, civis clarissime, CLARE,  
Cujus conspectu Cœtus caligo coorta  
Cessat: conflatos cohicens certamine crudo,  
Continuò certans constringis consceleratos.  
Calcatos canones, contempto Cæsare, cernens,  
Conclamas, carpis, confundis, cunctaque cogis.  
Compressam Christi contemplans cardine causam,  
Comploras, clamas, constanter cœlica captans;  
Conspiratorum cautim conamina callens,  
Colluviem cynicam compescis compede cinctam.  
Carcere conspiciens clausos culpâque carentes,  
Concurris clemens, crudas cædendo catenas.  
—Carmine cùm crebro caream, cantuque canoro,

Cordeque cùm CLARUM castè celebrare cupiscam,  
ξCuinam concredam clarè cauteque canendum?  
Concine, cara Clio; celeres cantate Camœnæ;  
Currite, Castalides, Curatoremque canatis.  
Cordato CLARI capiti contexite centum  
Cursim compositas casiâ, conferte coronas.  
Christiades coëant complentes compita, calles:  
CLARUM concelebrent coopertum chlamyde cœli.





# PERILLUSTRI P. PETRO PAYO,

Præclaro prudentissimoque Prædicatori,  
Philippinarum Provinciæ præstantissimo  
Prælato.



## PARVUM POËMA

Prædulcis Præsul, patriæ præstabile pignus,  
Pluraque præmonstrans populis præconia pacis;  
Perdigne plebis pariter Pastorque Paterque,  
Perspice per pagos plaudentem, perque plateas  
Perlætam pubem; populorum perspice plausum.  
Postquam Papa PIUS PAJUM, pietate potentem,  
Præfecit, placidè populi plerūmque profantur:  
«Perbenè provenias, permitis, provide Pastor,  
Perfacunde Pater, patriæ princepsque palæstræ (1).  
Postmodò promeriti prudentes præmia prendent,  
Perfida propediem pravi pugnacula perdent.  
Plurima Plenipotens Petro portenta parabit;  
Prospera procedent perfecto pleraque Patri.  
Pneumate protectus, pulsabis, Petre, procaces.  
Plutonis pelles, profligabisque phalangas; (2)  
Pallade (3) præmonitus, plebi pinguedine plena

(1) *Palæstra* significa «la elocuencia.»

(2) *Phalangæ Plutonis*, se entiende «huestes de Satanás.»

(3) *Pallas* es nombre de Minerva, es decir, la sabiduría.

Pabula præbebis: perfringes *pseudoprophetas*;  
Posteà *pseudenedros* (1) pervictos pulvere pinses,  
Pseudoque philosophos perrumpes perpetè pugnâ.  
Protere peccatum, peccantes pectore parcens.  
Pauperiem peramans, prosterne palatia Pluti (2);  
Peccati pereat præstò persæva potestas.  
Perge, probis, Pastor, Paradisi pandito portas»  
—Percipe pertenuem, prorsùs parvamque poësim,  
Prælustris Præsul, patriæque peroptime Præstes;  
Pauca peregrinus pollet proferre poëta....  
Poplite procumbens, pietatem postulo pronus;  
Pangite, Pierides, potiori pectine PAJUM (3).  
Psallere præpropera placido, Parnasia, plectro.  
Præclari Patris præstantem Pontificatum  
Plaudere perpetuo perget pernobile prælum (4).  
Psalmos pange pios, Patriarchæ perbona proles: (5)  
Protege, Phæbe, Petrum; ponti propelle procellas;  
Perpacca pelagum; prævelox pelle pericla:  
Planitiem puram, perquâm placidamque parato.  
Prudenti præeat Prælato plurima pompa;  
Perspicuique poli pateat plaga præstita prorsùs.  
Porrò, perillustris, Paraclete præside, Pastor,  
Perveterem Priandum præcellens præpete plausu,  
Pace Philippinos permulta pascere possis.



(1) *Pseudenedri*, sectarios secretos, v. gr. masones.

(2) *Palatia Pluti*, el fausto y las riquezas mundanales.

(3) *Pecten*, la lira.

(4) *Prælum*, la noble prensa.

(5) La venerable Orden de Predicadores, hijos del ínclito Patriarca Santo Domingo de Guzmán.



# VATI VATICANI.<sup>(1)</sup>



**V**irgo, virago (2), veni, vanæque vocabula vocis,  
Verba vigorosâ vesti virtute virili.  
Veloces volucres, vento vehemente volate,  
Votaque vivifico Vati, versusque vehatis  
Voce volatificâ versum variare volebam,  
Vateque vix viso, verecundor versificare.  
Viripotens Vir, vivax Verbigenaeque Vicari,  
Virtutis virgam vibras, victorque vocaris:  
Vivida vel Via, vel Verum, vel Vita videris;  
Verum vaticinans, veneraris vivificator.  
Vitis vera, vehis victum viresque vacivis,  
Virtutum vindex, vecordia vitia vellis.  
Vittatus violis, vivescis vertice vallis;  
Virga velut viridis, vigilans versare vireto.  
Vi vacuos vegetas, vitæque vocamina veras: (3)  
Vipereum verris virus, vistasque venenos;  
Vallatus, vinctus, validissima vincula vectas;  
Vesanos vincis, vagulos vertigine vitæ,

(1) Un amigo, mediante una apuesta, me dió la letra *V* como inicial forzada para todas las palabras de una composición dedicada á Nuestro Santísimo Padre León XIII. La composición no salió tan brillante como sería de desear; pero la apuesta, la gané en méños de tres horas.—N. del A.

(2) Virgen Santa, Heroina de los cielos!

(3) Esta palabra *veras* es verbo.

Ventosos vellis, vitiosis verbera vertis.  
Vitae Vexillo vadis, venerande Viator;  
Vexas ventricolas, Venerem, vinumque verentes,  
Viique viros vallas virtute, vigore viantes.  
Vægrandesque viras, vidnos velamine velas.  
Vates veriloquax, Vaticanique Vitumne,  
Vortice Vulcani vitiatos vellere velles;  
Visque, valesque viros vacuare voragine vadi.  
Vilia vitari volvis, venalia vertis;  
Vinea Verbigenæ Vos Viticolam veneratur.  
Vates, valdè vige; versus vigilato venustos.  
Vivida vena vomat versus ventura videndo;  
Vestraque vox veniat velox, venerande Vicari;  
Vestram vermiculus veniam vocitans veterascat.

VALDESIUS.





## AB TIRONES.



### LUDUS VERBORUM. (1)

Qmne *malum* nobis morale est rejiciendum;  
Sæpè *malum* physicum desinit esse *malum*.  
Omne *malum*, si animo forsam tolerabitur æquo,  
    Multa bona humanis conciliare valet.  
Porrò prius *malum mala* nobis protulit atra;  
    Postera *mala* tamen non *mala* dicit homo.  
*Malum* præcipuè placidum si exhalat odorem,  
    Pulchrumque est oculis, omnibus, herclè placet.  
Aurea *mala* ferè hispanus manducat egenus;  
    Punica *mala* tamen rariùs esse valet. (2)  
Citrea *mala* mihi, decocta in saccharo aquoso,  
    In parvis cœnis terque quaterque placent.  
Cunctis præcoccia arrident pulcherrima *mala*;  
    At cunctis minime medica *mala* juvant.  
Cocta nimisque placent mihi *mala* cotonea pulchra,  
    Cruda tamen pauci *mala* modi hujus edunt.  
Non ego duracina assuesco nunc *mala* comesse;  
    Sed *mala* ingenuè punica *malo* mihi.  
Aurea non poma interdùm sunt aurea *mala*,  
    Sed *malum* pomi nomine sæpè sonat.

(1) Conociendo la estructura métrica de estos dísticos, y fijándose uno en la cantidad de la primera sílaba de la palabra tantas veces repetida, no se puede errar en la significación de ella.

(2) Este infinitivo «esse» es una forma equivalente de «edere».

*Malum* dissidii dictum, res pesima habetur,  
Namque probo est homini res *mala* dissidium.  
Omnia *mala suo* si mitia tempore carpas,  
Sunt bona si utaris non *malè* semper eis.  
Cùm *mala malus* eget *malis* et fronde decora,  
Tunc agricultor eam vellere sæpè solet.  
Nauta manu *malum* quandoque prehendere tentat,  
Si sibi fortè *malum* conspicit esse minax.  
Ex multis *mallis* texuntur palia magna,  
Etsi ideo ad *Mallum* texere nullus eat.  
Non tibi *malleolos*, vel Mallos, tiro, recordor,  
Nam doleo *malas* ipse rubere tuas.





## EPIGRAMMA



### PŒNA PECCATI.



Non pascit pulices revera Vallisoletum;  
Sed parvos culices pascit, et herclè fovet.  
Porro non culices alit urbs mea dulcis Ovetum;  
Sed nigros pulices prodiga semper alit.  
Utrius fagies insecti ignobile punctum,  
Dum saltet pulex, et volet ipse culex?  
Si est morsus pulicum, culicumque ab origine pena,  
Te, Tite, pol morsus sponte subire decet.





AD PRÆSTANTISSIMUM VATEM  
AUCTOREM DRAMATIS NOVI<sup>(1)</sup>

— — — \* — —

ACROSTICHIS.

— — —

Excellens vates, pretiosi dramatis auctor,  
Magni thesauri, quo ditas grammata ibera;  
Miro qui ingenio heroas superare videris:  
Argumenta mei respectūs sume, et amoris.  
Nemo tibi æqualis merito et virtutibus extat.  
Unus enim fulges dives sermone soluto,  
Et vates omnes selecto carmine vincis.  
Luminis ut rutilans Academia te colit astrum.  
Tergere verba sapis, pariterque nitore replere,  
Ac etiam proprium vocum decernere sensum.  
Marmore drama tuum sculptum remanebit et auro,  
Ac pia posteritas te commemorabit in ævum.  
Ipse nec æqualem poteris nec habere secundum,  
Omnia quandoquidem quæ dramata in orbe leguntur,  
Et quæ custodes abscondunt bibliothecæ,  
Totaque, quæ pariant hilares ubicumque camœnæ,  
Bruchus ea abrodet, vel erunt in pulvere jacta.  
Ante «novum Drama» obstupuerunt sæpè poëtæ.  
Unicus altisono celebraberis ipse cothurno;  
Solus in Hesperiâ *nova dramata* scribere polles.

(1) Exmo. Sr. D. Manuel Tamayo y Baus.



# Ad Antonium Balbuena.



## AGROSTIGRIS.

---

**A**ntoni, versus si forsam legeris istos,  
Ne tentes, quæso, rodere dente malo.  
Tu bene dignoscis qnot curas, quotque labores  
Offert scriptori nobile quodquod opus.  
Numine non careo, neque fervens deficit œstrus,  
In cujus nutu carmina ferre queam.  
Unicè ad usque apicem concendere fortè nequibo,  
Sed semper vates ipse latinus ero.  
Barba meo incepit vixdūm nigrescere in ore,  
Ardua cùm pueris scripta latina dabam.  
Lucida non equidem mea carmina semper habebis;  
Barbitos alma tamen pangere plura solet.  
Ultima sunt minimè tibi quæ, si vivo, dicabo,  
Etsi non faveas versibus hisce meis;  
Nam prout innumera ac adamussim RUDERA cogas,  
Amodò sic recinet grata Camœna mea.





EMINENTISSIMO DOMINO  
S. R. ECCLESIAE CARDINALI,  
ARCHEBISCOPO TOLETANO  
OBSEQUENTISSIMUS SERVUS,  
**R. DEL B.**

— 8 —

Super tumulum perillustris Doctoris Gabrielis García  
Moreno, in Aequatoris republica præstantissimi Consulis,  
iniqua nece prærepti, perpetuus planger.

—  
**ELEGIA.**  
—

Quid Notus, insolitis mæstisque susurribus efflans,  
Ejulat, atque loci tristis ubique sonat?  
India quid clamans, nimio lacerata dolore,  
Ingentes gemitus, pressa tremore, jacit?  
Cur vetus Europe, tetro velamine nupta,  
Nunc quasi terribili fulgure tacta, gemit?  
Cur ita chiristicolæ lugentes pectora tundunt?  
Quod crudum facinus terret in orbe viros?  
Quæ nova catholicos, tantis incursibus actos,  
Per totum mundum tristia fata premunt?  
Anne Ducem sapidum, Aequatoris fræna regentem,  
Sectæ implacatae stravit iniqua manus?  
Anne virum sanctum, patriæ qui tanta pararat  
Dona, dolo petiit pugio carnificis?  
Nonne magistratum, populi columenque jubarque,  
Infensis telis obruit impietas?  
Talia fama gemens ad tristes pertulit aures!  
Talia christiadum corda dolore replent!

Præclarus Gabriel, patriæ ductorque paterque,  
Qui in ditione sua constituisset Edem;  
Unicus, imperium qui in Christi pace gerebat;  
Quique Dei leges civibus ipse tulit,  
Integer et purus... ferro plumboque feroci  
Confossus periit! Terra, tremore freme!  
Angelus Americæ, cœlo demissus ab alto,  
Justitiæ insignis qui facialis erat;  
Qui juxta Divi placitum documenta ferebat;  
Qui ex æquo cunctis jura sacrata dabat;  
Furibus invisis, patriæ perfundit in aris  
Innocuam vitam! Lumina cæca manent!  
Qui exemplo et monitis plantarat semina vitæ,  
Victima sectarum, pallidus aret humi!  
Proh dolor! en madidus sacro labente cruento,  
Vulnere confectus, mobilitate caret!  
Exiit obscuro juratus tortor ab antro,  
In mediaque die candida lux patriæ  
Stingitur! Oh tristis sicarie, contreme saltem,  
Si tanti patris terga ferire velis;  
Consulis illustris, si possis inspice frontem,  
Quæ fulget meritis, ac bonitate micat.  
Verbera vel mortem sanctus non horret obirel...  
Nex terret sontes, innocuisse libet.  
Pessima duntaxat pravorum mors reputatur;  
Mors vero est sanctis pulchra corona nimis.  
Tu in patriæ pectus jecisti perfidus ictum!  
Gens! heu! Americæ defleat orba patrem!  
Publica res oculis non siccis ploret in ævum,  
Maxima nam patriæ gloria adempta fuit!  
Lugeat extinctum celi sapientia solem,  
Si doctor Gabriel luce per æva caret!  
Sideris occasum comploret triste tribunal,  
Si justi custos flebilis ipse jacet!  
Dulce decus raptum doleat sine fine Senatus,  
Brachia nam cœtus perdidit atque caput!

Tu, quoque Comitium, plangas, si Præstite dempto,  
Alma corona tua [heu! pulvere fracta jacet!  
Utilis ars omnis deploret mæsta magistrum,  
Si occissus cedidit fervidus artis amans!  
Ne parcas lacrimis pro dira sorte, lyceum,  
Quod tanti auctoris nomine dives eras;  
Præside prærepto, non ultra laude frueris!  
Patre tuo extincto, littera muta manet!  
Crimine terrifico stupefactum forte silebis,  
Ni Divo placeat ferre potenter opem.  
Amplius, oh Cleri semper venerabilis ordo,  
Dicere quid potero, portio sancta Dei:  
Dilectum patrem, vestra in regione potentem,  
Abstulit e vivis impia secta ferox!  
Funere præ tetro cor vestrum credo refringi!...  
Hoc fatum poterit vix tolerare dolor!  
Ipse erat Ecclesiae scutum fortisque columna,  
Ipse decus vestrum, præsidiumque bonum:  
Ipse manu firma Christi vexilla tenebat;  
Ipse Dei imperium juraque fassus erat.  
Vir prout e cœlo missus.... Non denique miror,  
Si ex vestris oculis proflua gutta cadat.  
Sicut in arenì deserto splendet Oaxis,  
Fructibus et pomis floreque onusta simul,  
Sic mundo in pravo, miris virtutibus aucta,  
Tam parva ut felix, natio vestra viget.  
Invida quid faceret Satanæ persæva potestas?  
Quidve moliturus teter avernus erat?  
Quid non intendit turbatrix Hydra quietis,  
Cum Christus mundi fræna suprema tenet?  
Quid non haereticum machinatur pestile monstrum,  
Cum verum radians omnia lustrat ovans?  
At vos, qui, in terris Divi monimenta sequentes,  
Supplice pro pravis funditis ore preces,  
Sic etiam Satanæ conatus solvit atros,  
Ac sectæ infamis panditis insidias.

Magna pericla quidem mundum clamore monetis;  
Vos nusquam *muti* suescitis esse *canes*.  
Væ quibus in populos concessa est summa potestas,  
Si sectæ obscuræ terribilique favent!  
Regibus hei surdis, faciles qui semper in illam,  
Se præbent, ejus consiliisque juvant!  
Regibus hei cæcis, qui sanctis Coetibus obstant,  
Ac sectis audent nomina sæpe dare!  
Discite nunc populi rectores, discite demum  
Quam summas vitas devorèt Hydra minax!  
Papa Pius pridem fixit super aspide calcem;  
At vobis SANCTUM deseruisse placet!  
Væ nobis miseris, cum MAGNI ANTISTITIS orbis  
Orando fessi, brachia deficiant!  
Interea, oh Gabriel, nitidis tu tempora sertis  
Cingeris æternis sedibus ipse fruiens.  
Sospes ut in terra Christi servare catervam  
Exequerere, tibi sollicitudo fuit.  
Lumine nunc polles: cernens Rectoris Olympi  
Fulgentem faciem, cœlica dona capis.  
Inclyta spes, Gabriel, populo sucurre gementi;  
Numine nos miseros protege, sancte, tuo.





PLANGOR  
SUPER TUMULUM

Emmi. Ac Rmi. D. D. D. Joannis Ignatii  
S. R. E. CARDINALIS MORENO,  
ARCHIEPISCOPI TOLETANI.

—  
**ELEGIA.**  
—

¶Magna, velut mare, christiades ærumna refringit!..  
¶Heu! ingens homines mæror in orbe premit!  
¶Quid nimis infaustum mentes vexare virorum,  
    Ac fortis animos frangere triste potest?  
¶Quisve viros mergit dolor in singultibus atris,  
    Cunctaque crudeli pectora sente ferit?  
¶Cur tantæ ex oculis lacrimæ labuntur acerbæ?  
    ¶Cur plebs lamentis ejulat, et queritur?  
¶Livida parca truci Primate falce peremit!...  
    ¶Prælatum rapuit, qui ordine summus erat!  
Magnus Castellæ geminæ, Asturiaæque Patronus,  
    Qui cunctæ Hesperiae dona superna dedit,  
Ultima per tacitam jecit suspiria noctem!  
    ¶Oh nos infelix, et memoranda nimis!  
¶Jure polus tristem planetum perfundit uterque,  
    Namque aliis casus durior esse nequit!  
Icta dolore, Patrem deploret iberica tellus;  
    Orphana plebs Christi, fulgure tacta, gemat,

Contremat ablato Solium firmamine summo;  
Et sancti altaris funditus ara labet!  
Qui, ut firmum column, Primas aramque, thronumque  
Auxerat, in tumulo, flebilis umbra, jacet!  
Disciplinarum, periit moderator et auctor;  
Et spoliata manet sacra nitore toga.  
Jam sol Hesperiae nebula coopertus hebescit;  
Jam male nos tenebras spargit ubique nigras.  
Qui Pacis titulo Præsul fulgebat in Urbe,  
Et regni hispani Pacifer ipse fuit,  
In teturum, subita præreptus morte, sepulchrum  
Concidit!.... |Oh atropos, quanta tropæa tenes!  
Qui legum custos, virgam facialis habebat,  
Propugnans zelo jura sacrata Dei;  
Qui semper large solatia præsttit ægris;  
In quo tum reperit dulce juvæmen inops,  
Ejus membra cavo permixta in marmore tabent!...  
|Oh quantam gazam concava petra tegit!  
Pastorum speculum, mira dulcedine pollens,  
Discordes animos uniter esse volens;  
Quem vere afflabat semper sapientia Summa;  
Cui bene res licuit solvere difficiles;  
Gloria Magnatum, plebis solator et altor,  
Vermibus |heu! foedis pallida membra dedit!  
|Quis modus est lacrimis tanto pro funere fusis?  
|Quis siccis oculis horrida fata videt?  
|Filia, plange, Sion, nullo solamine fota,  
Nam tibi tutamen, deliciumque deest!  
Edere neve sinas lamenta, Ecclesia sancta,  
Si luctum planctu mitificare velis.  
Attamen |oh! lacrimis tantis fas parcere tandem;  
Namque modum poni commonet ipsa fides.  
Augustus Pater, Archiepiscopus inclytus, almus  
Vir, Divi servus, cœlicus, amplius homo,  
E vivis cessit liber, sine mortis agone,  
Angelisque choris spiritus ejus inest.

Angelus Hesperiae in cœlis fulgebit, ut astrum,  
    Qui tristem patriam luce replere queat.  
Angelus in nostro fuerat quandoque planeta;  
    Nunc partes Seraphim nempè beatus aget.  
Vivere concordes homines persæpe monebat;  
    Pro cunctis hodie postulat ante Deum.  
Virginis excelsæ tutamen sospes habebat;  
    Pro nobis hodie flagitat ore pio.  
Jugiter in vivis Alphonsos. Eugeniosque sequutus;  
    Consociatus eis nunc super astra sedet.  
Ipse voluntates unire ardenter avebat;  
    Nunc licet in cœlo perpetæ pace frui.  
Tunc ipsum populus Patrem pietate vocabat;  
    Nunc vere Sanctum nominat atque colit.  
Tunc degens, sacrum virtutibus auxerat Ostrum;  
    Nunc immortalem vestiit ipse stolam.  
Hæresis infandæ, vivens, rejecerat ictus;  
    Nunc inter sanctos præmia victor habet.  
Tunc sacram Mitram nimio splendore replevit;  
    Nunc cingit rutilum pulchra corona caput.  
Tunc puram vitam duxit virtutis amore;  
    Nunc placidè in Divi dormit amante sinu.  
Damna si ei infixit minitans Revolutio dira;  
    Nunc palmam nitidam, vel diadema capit.  
Si dedit æternæ nobis documenta salutis,  
    Jam nunc perpetuae munera lucis habet.  
Sanctus erat vivens, animarum sanctificator;  
    Incola nunc cœli sanctior ipse manet.  
Postera nempe ejus cineres venerabitur ætas,  
    Ast ego, dum liceat, nomen et ossa colam.  
Interea, innocui Prälati spiritus alme,  
    Qui dives meritis sidera ad alta volas;  
Spiritus immunis, qui in celso vivis Olympo,  
    Omnibus a noxis tutus in Arce Dei,  
Respicie jam populum, quem miti in corde ferebas,  
    Et nostras Domino profer abunde preces.

Exora, ut crebris Ecclesia honoribus aucta,  
Splendida per mundum stemmata pace ferat.  
Postula ut Omnipotens plebem conservet iberam,  
Et longe a nobis arceat ipse luem.  
Impetra ut hispani concordes pace fruantur,  
Et crescat multis Unio sancta bonis.  
Denique dumtaxat donum mihi præstolor unum:  
Fac, pius ut parcat Divus abunde mihi.





## EPITAPHIA

### I.

Cum puer aut puber teneris versabar in annis,  
Jam tunc in primis pacis amicus eram.  
Mox adolescenti, placidè cum plurima ferret  
Fortuna arridens, dona caduca mihi,  
Pacis amore statum Cleri amplexatus inivi:  
Ut salvus fierem, munia pacis agens.  
Sedibus in variis augustum Pontificatum  
Gessi, semper oves pacificando meas.  
Præsulis explevi partes Pacisque Ministri.  
Non mihi sub cœlo gens inimica fuit;  
Federa at infensis nunquam cum erroribus ici.  
Papa ideo magnus pacis in orbe sator,  
Me Pacis dulci titulo exaltavit ad Ostrum.  
Tunc pacem docui terque quaterque viros.  
Denique per somnum te liqui in pace viator:  
Pace precare Deum, ut perpetue pace fruar.

### II.

Marmor hoc excelsi Toleti Antistitis arctas  
Occult exuvias. Ornatus Murice sacro,  
Regibus et populis semper columenque, jubarque,  
En terrâ fugit, vitæ documenta relinquens.  
Ne avertas oculos quin mente vel ore, viator,  
Oratum facias. Pietas sic præcipit æqua.


**III.**

Hic lapis exsangues Primatis contegit artus,  
Qui ternas nimio rexit honore Sedes.  
Vir pius ac humilis fuit in fulgoribus Ostri....  
Commenda Domino, grate viator, eum.

**IV.**

Hic jacet exanimum Primatis corpus iberi!....  
Postera gens, tanti Præsulis esto memor.





# V. EPISCOPUS BARCINONENSIS

## IN SANCTÆ MORTIS AGONE.



### EPISTOLA ELEGIACA.

« *Debilis, et fessus, sævoqne dolore laborans;*  
Lectulo in hoc humili, mortis agone, jacens;  
Attamen omnino rationis compos, in Unum  
Ac Trinum credens, vivificumque Deum,  
In cuius spero fretus honestate supremâ;  
Quem deamo, at animæ viribus ipse colo:  
Labe vel invidia purum cor mite reservo;  
Erroris tenebris mens meâ nuda manet.  
Terrea despicio, tantùm meditansque superna,  
Lumina fixa mihi sursus habere licet.  
Munia Pastoris, soâpes, molimine gessi;  
Dulcia nunc, moriens, munera Patris agam.  
Prorsus oves tenero dilexi semper amore....  
Postuma percipite !heu! verba libenter, oves.  
Spiritus angelico revirescit Pane refectus;  
In nostro residet pectore Pulcher Amor.  
Terrea affectus expers mens advolat altè,  
Celsaque contemplans, respuit ima nimis.  
Vos semper verum docui, semperque per arctas  
Virtutum duxi, Cœlite dante, vias.  
Filius atque tenax veri, mendacia nunquam  
Perpetro, sed veri nuntius esse volo.

Nempè salutares agnis porrexiimus escas;  
Pabula sana tibi, Barcino cara, dedi.  
Sæpe nociva tuo prudentius abstuli ab ore,  
Sed bona largitus pascua semper eram.  
Commoda, divitias repuli a me tempore in omni;  
Pastoris baculum est unica gaza mea.  
Me juvat in primis paupertas; attamen altæ  
Nempe dedi vobis utilitatis opes.  
Non Sæcli insconstans ac labile prædico regnum;  
Imperium laudo, quod sine fine viget.  
Regna super terram Christi stabilita per ævum,  
Scilicet hæc vivens, hæc moriensque peto.  
Lumen Evangelii quaerens extendere in orbe,  
Ipsa Dei cecini verba sonante tuba;  
Nunc ego, cessurus cupio monumenta salutis  
Reddere, quæ vobis pignora pacis erunt.  
Invicem amaminor; alterius peccamina parcat  
Alter, ut et nugas fratris amore ferat.  
Exemplum vobis, sanctumque charisma relinquo:  
Vestrис sint animis pax et amanda quies.  
Vos meus extremo benedicet spiritus insons;  
Vos benedico, mei portio cordis, oves.  
In vos descendat summi benedictio Regis,  
In pratis veluti pluvia amoena cadit.  
In vos descendat Triadis benedictio Sanctæ,  
Rorifer ut nitidæ floribus humor inest.  
In vos descendat benedictio Virginis almæ,  
Jucunda et suavis, sicut aroma rosæ.  
Sic sanctis votis, jngibusque precatibus altum  
Pro vobis numen corde reposco pio.  
Jam prope spes superest æternam vivere vitam,  
Exutus postquam cortice carnis ero.  
Si forte invitè fuerim quandoque molestus,  
Parcite, prorsus, oves; parcite, quæso, mihi.  
Si vero innocui partes Antistitis egi,  
Vosque meis monitis non obedisse satis

Creditis, [heu! vere cunctis indulgeo, fili,  
Nam bene vos meritos diligo amore pari.  
Vobis ignosco; rixas condono procaces,  
Quæ tamquam spinæ cor pupugere meum.  
Deritus taceo, prælique remitto protervi  
Tela, quibus figit pectora nostra jocans.  
Sermone pariter præli deploro severum,  
Quo nimis injustè judicor atque notor.  
Non inimicitias in nostro corde recondam:  
Hostia pro cunctis offerar ipse piè.  
Sontibus et tepidis veniam sine limite dono:  
Talia sunt cordis vota suprema mei.  
Protinus hanc animam prece commendabitis alta;  
Exorate, rogo, ut perpetue luce fruar.  
Unum dumtaxat peto: corde tenete perennè,  
Et servate fidem; vivite pace bonâ;  
Divinam legem recolentes, degite vitam  
Innocuam, puram sordibus atque dolo.  
Omnibus in fidei coeptis coeatis in unum,  
Nam junctis populus viribus omne potest.  
Sic ideo æquantes atavorum gesta diesque,  
Plebs eritis felix atque beata nimis.  
Cùmque ferox demum dissolvat agonia membra,  
Ac sensus acuat punctibus ipse dolor,  
Tunc Divi auxilium casu experiemini in atro,  
Et vos cœlestis chlamyde Virgo teget.  
Non secus in tristi experior solamina morte;  
Non secus ipsa mihi cœlica Diva favet.  
Non minus ex alto solatia sancta reporto,  
Cum siccat lacrimas Mater amanda meas.  
Vos ita navantes actus virtutis honestos,  
Grex eritis lectus, pulchra corona mea.  
Nunc mihi post longum cursum sine fraude peractum,  
Postquam confeci prælia sancta benè;  
Postquam jam calicem exhausi patienter amarum,  
Golgothæ opus pergens, dives amore Dei;

Postquamque optatum licuit tetigisse bravium,  
Quid melius superest quam diadema nitens?  
Æternam petimus sedem jam jamque paratam...  
Ibimus in Domini regna volente Deo.  
Divinas laudes pangemus cuncta per æva,  
Dulciter angelico concomitante choro.»  
Sic ovibus, pacis vir dixit, Episcopus insons;  
Sic ovibus, pacis victima, scripsit amans.  
Spiritus exemplò rapide super astra volavit,  
Nos ubi commendat Cœlitis ante thronum.





SUPER TUMULUM  
EJUSDEM RVMI. EPISCOPI,



EPITAPHIUM.

Urbs generosa nimis, praelustris Barcino magna,  
Regia quæ quondam tuleras vexilla per orbem,  
Quæque sinu heroas semper, sanctosque aluisti;  
Urbs pia, quæ cineres veneraris ubique tuorum,  
In primisque tuos memoras Patresque Ducesque;  
Ne cesses posthac Divum pro Patre rogare,  
Atque tuis lacrimis monumentum sœpè rigare.  
Omnibus omne fuit, cum sospes Episcopus esset;  
Nunc petit oratum vel vota, precesque suorum...  
Ante hunc consistens tumulum, gens nobilis, ora.





## AD DECESSUM REGINÆ MERCEDIS.



La triste nueva de su fin recibo.  
Era flor de virtud, joven y bella,  
Yo viejo inutil vivo ..  
¿Quién fuera digno de morir por ella?

HARTZMBEUSCH.

Parca ferox pulchram Reginam falce cecidit!  
Nuncius infaustus nobis sic asserit ater!  
Flos virtutis erat, juvenisque, nimisque venusta,  
Sospes ego interea vetulus, vel inutilis exto...  
¡Quis foret ¡heu! specie pro tantâ dignus obire?



## ELEGIA.

MORTUA MERCEDE, MUNDUS MÆRET.



Mœonidum melos.

¶ Morsne malo morsu, malesana, minare Mariam?  
¶ Mirane, malleolo, Merces, mactabere mortis?  
¶ Mystica, multipotens, mellita marita macesces?  
¡Mortales mergat mæroris maxima moles!  
¡Mortua magnanimi mulier memoranda Monarchæ!  
¡Matritum moritur; moritur meritissima Merces!  
Murmura, multisonum mare, mugitumque moveto;  
Mæstitiam magnam manifestet machina mundi!

Maxima majestas monumento muta moratur,  
Munificæque manus, morbo mutilante macrescunt!  
Magnatum mater mendicorumque ministra,  
Mira mansuetudine muneribusque micabat...!  
Marcida mæstifico monumento membra manebunt!  
Mox mausoleo Mellillam (1), Mantua (2) mitte,  
Moleque magnificæ memora momenta Magistræ (3),  
Musa, melancholicæ meditans molimina mentis,  
Multaque mellifluo modulans magnalia metro,  
Munia mendosæ mortis maledicere mavis;  
Munera Mnemosynæ miserans mandare memento.  
Mites matronæ, mutato murice magno,  
Maxillis macie madidis, mutate monile:  
Maxima mæroris mundum monimenta monete;  
Metite manipulos myrti, mandate Mariæ.  
Manes migrarunt, macerataque mollia membra  
Marmore miscentur! Memores mox mittite myrrham.  
Mœnia Metropolis, mærore macescite multo.  
Mensuram meriti Mercedis magnificate;  
Mundaque memoriam Mellillæ marmora monstrant.  
Molis maximitas minuat miracula Memphis;  
Majorem minimè miretur marmore mundus.



(1) Mellilla es término de cariño que los latinos daban á las niñas dulces y amables.

(2) Se entiende Mantua Carpetanorum, que significa «Madrid.»

(3) Magistræ en una de sus acepciones significa «Soberana.»



# Ad decessum regis.

## ELEGIA.

Quis subitò cives vi fulminis occupat angor?  
Quis pavor horribilis vexat in urbe viros?  
Quisve malus mæsta resonat repetitus ab Echo  
Nuntius in totis collibus atque jugis?  
Cur montes hiscunt ululantes ore profundo?  
Cur auster querulus perstrepit atque gemit...?  
Ergo conspicuus Juvenis, qui gentis iberæ  
Rex erat et lumen, languidus occubuit...!  
Ergo Vir, sceptrum summā qui laude ferebat,  
Marmore sub tristi membra subacta tenet...!  
Proh dolor! Hesperiae nitidum floremque, decusque,  
Infensus boreas funditus abripuit!  
Hispani cœli Sidus, quod lumine dives  
Fulxerat hucusque, heu! tristè nigrescit humi!  
Perpetuo urgetur, premiturque sopore Monarcha,  
Qui tot pro populis invigilabat avens.  
Regibus ipse piis centenis editus, altum  
Exæquans animi nobilitate genus,  
Exiit e vivis...! caret et solamine terra...!  
Heu! nostra in primis orphana tristè fremat!  
Qui e bello rediens, redimitus tempora lauro,  
Lætè et ubique fuit concelebratus ovans,

Nunc jacet exanimis, strictusque ligamine mortis...!  
¡Funere pro tanto pontus et æthra fleant!  
Qui vitam miseris summâ pietate pepercit,  
Totque reis rupit vincula dura nimis;  
Qui tristes lacrimas exsiccans sospes abundè,  
Omnibus hue illuc omnia factus erat,  
Marmore sub gelido cecidit cum robore vitæ!  
¡Ex cunctis oculis proflua gutta cadat!  
Frons speciosa nimis, perquam vultusque serenus,  
Qui alliciens homines dulcè trahebat eos,  
In tetro tumulo pressus squalore putrescit,  
Fine dùm advento, clangat in orbe tuba!  
¡Gemma coronarum præfulgentissima mundi,  
Fulgure deposito, jam sine luce manet.  
Munere qui tanquam linguarum cœlitus auctus,  
Europæ est solitus Regibus alta loqui;  
Ipse vir eximius virtute et robore pollens,  
Qui in mediis turbis ora corusca levans,  
Fortiter ipse minas temsit, nugasque procaces;  
Extera quem tellus amplificare solet;  
Qui cum Principibus, terramque regentibus orbem,  
Ob patriæ augmentum feedera pepigerat,  
E solio cecidit populi in singultibus imis...!  
¡Pro planctu et lacrimis effluat unda maris!  
Qui terrâ horrendè jactatâ motibus atris,  
Discrimen temnens, oppida fracta petit;  
Qui pro pestiferis, cupiensque pericla subire,  
Dulce levamen eis, atque medela fuit,  
Pulvis iners jacet, et muto sub marmore marcat!  
¡Fletibus ¡heu! desit terminus atque modus!  
Qui vero Ecclesiam donis ditaverat amplis,  
Ac ejus dormit in reforente sinu,  
Rite piare potest lacrimis peccamina sanctis,  
Quæ ad celum subeunt Cœlitis usque thronum.  
Plangere ne cesses decessum Regis amandi;  
Gens hispana, tuum plangere perge Patrem!

Dùm sospes fuerat, te fecerat esse beatam;  
Pendere nunc libeat tanta recepta bona.  
Effusas lacrimas conjunge precatibus almis;  
Plorare opportet, corde rogando simul.  
Oh! Regem Regum, solium super astra tenentem,  
Pro magno Alphonso voce precare piâ.  
Poscito ut ad celsum felix gradiatur Olympum,  
Ut sanctos Atavos cernere possit ibi.  
Ut cum mirifico possit regnare Patrino,  
Cujus in auspiciis chrismate lotus erat.  
Exora, ut lacrimas, quæ nunc funduntur amarè,  
Mox in lætitiam vertat et ipse Deus.  
Exora, ut Viduam populi jam fræna regentem,  
Lumine coelesti repleat, atque beet.  
Exora ut Soboles jam, lege favente, refulgens,  
Accrescat meritis, atque timore Dei.  
Natio non aliter nanciscitur esse beata...  
Fervida sic ideò vota iterare juvet.





## EPITAPHIA

### I

Hunc licet in tumulum cecidi in fervore juventae,  
Non vacuas operum fas habuisse manus.  
Dum puer exul eram, nil jam pueriliter egi;  
Rebus in adversis esse vir edidici.  
Ad patriam rediens, mox restaurator iberi  
Nominis et decoris, perpetue laude, fui.  
Pacem concupiens, confeci civica bella;  
Et pacem reperi plausibus innumeris.  
Hostes devincens, tunc corde pepercit inimicos;  
Omnes, ut filii, pignora cordis erant.  
Semper ab invidiâ liber, formidinis expers,  
Demissa abjeci, magna patrare volens.  
Artibus ipse vacans, studiosus cultor earum,  
Præmia sœpè dedi regia dona sophis.  
Cognomen Proavum servavi, sospes, honore;  
Sanctius at licuit diro in agone mori.  
Te cunctis animæ deamavi viribus, ampla  
Patria...! linquo tibi pignora lecta nimis;  
En tibi Filiolas, Viduam, moestosques parentes,  
Dilectas animas, deliciumque meum.  
Ecce tibi parili commendo ardore sorores,  
Gaudia quæ in terris tanta dedere mihi.

### II

Nempè quater vixi septenos flebilis annos,  
Per quorum denos fulgida sceptræ tuli.

Fortunā ancipiti vitam sine fraudibus egi;  
Pacifer, aut victor dictus in orbe fui.  
Cumque bonis crebris patriam feliciter auxi,  
Tunc et ovans imā de regione abii.  
Prorsùs avara brevem vitam mihi fata dederunt...  
Porrò satis vixi, si modò vivo Deo.

### III

Hoc mausoleum, Memphis miracula vincens,  
Alphonsi Regis continet ossa macra.  
Ipse brevem vitam, regalibus actibus arctam,  
Pro sancto patriae fudit amore suae.  
Cùm nimis Hesperiam fortè exaltarat, obivit!  
Pro Rege exora, fortis ibere, tuo.

### IV

Hic lapis Alphonsi pretiosos contegit artus:  
Discite dùm liceat, lapidemque accedite ad istum.  
Rex, pater, et sponsus, frater, vel filius almus,  
Miles, et imperii moderator providus, atque  
Vir pius, et solers, fortis prudensque, sagaxque,  
Cernere perfectum poterunt exemplar in ipso.  
Pro Rege oretis; pietas sic præcipit æqua.

### V

**A**d tristem tumulum veni in juvenilibus annis;  
**L**impida at explevi gestorum exempla bonorum.  
**P**acis in orbe ratæ benefacta utroque reliqui.  
**H**ostibus expulsis, docui deamare inimicos.  
**O**mnis omne fui; dites, inopesque recepi.  
**N**actus in Imperiis, laudari nomen iberum,  
**S**emper ab insidiis foedis immunis abivi:  
**G**l̄timò in horribili Germanâ lite subortâ  
**S**upremam tetigi laurum. Nunc posco juvamen!

**VI**

Marmor hoc exuvias Regis conservat iberi.  
Infaustè e vivis juvenis decessit; at ejus  
Gestorum summa in patriis annalibus extat,  
Historiamque potest æternâ laude replere.



**ORATIO FIAT**

PRO REGE ALPHONSO XII.



**A**noxæ laqueis si obiti ut solvantur in ævum,  
**L**ugere opportet, cunctisque precatibus uti,  
**P**ræcipit et pietas Divum pro Rege precari,  
**H**ortaturque fides precibus memorare Monarcham.  
**O**mni bus affulxit sospes virtutibus almis;  
**N**il unquam temerans adversùs Dogma patravit;  
**S**emper jura Dei firmè protexit, et auxit.  
**C**ut Rex in cœlo tandem requiescat Olympo,  
**S**uppliance voce Deum, totoque ex corde rogemus.





# Plangor et Bamenta

In perhorrida Matritensis-Complutensis  
Episcopi Interfectione,

PER INFANDUM PARRICIDAM PERACTA.



¶ Quodnam flagitium sacrum, facinusve nefandum,  
Compita, perque vias, aures formidine terrens,  
In mentes hominum tulit horrida, et extera sensa?  
¶ Pectora quis sceleris rumor ferit alta virorum,  
Ac reddit cunctos animos angore recussos?  
Dicite, christiades ¶ quænam mala scandala fletis,  
Non priùs audita hispanis in civibus unquam?  
¶ An trux occisor, plumbum qnī immittè, cruentum,  
Ipse manu dirâ jaculatus Episcopo amanti,  
Clericus est? Satanæ nûm servum rursùs adegit,  
Ut sanctum tradat, crucietque furore Magistrum?  
¶ Casum ploremus lacrymarum flumine acerbo!  
¶ Pectora jam cives scindant lacerata dolore!  
¶ Væ tibi, crudelis, teter sicarie, nequam!  
¶ Væ tibi, qui infamis deicidæ nomen adeptus,  
Orbam Metropolim patre, et pastore relinquis!  
¶ Væ tibi qui rabie spirans, vel dæmonis irâ,  
Præsulis innocuum fundis feritate cruorem!  
¶ Horrendo opprobrio cooperta hispanica tellus

Per te in perpetuum remanebit, prave sacerdos!  
¡Multā ignominiā erasum, vel dedecoratum,  
Nomen in orbe tuum valdē execrabile fiet!  
At Christi Sponsa nimis maculabis in ævum,  
Mæsta erit et tristis, lacrymosa Ecclesia sancta;  
Christiadum tamen, immensum celebrata per orbem,  
Laudibus innumeris recoletur turba fidelis.  
Scandala debilibus, non autem fortibus obsunt;  
Scandala sunt verè a populis arcenda pericla;  
At nullum damnum Divum deamantibus addunt.  
Vertice nam montis si e sancto aut culmine laudis;  
Incidat opprobrii in foveam quamdoque viator;  
Et quamvis ululet mundus solaminis expers,  
Ob magnum crimen, quod quisquam perpetret audax,  
Integra, et immunis sinè rugā Ecclesia floret,  
Et tanquam speculum nitet, et sine labibus ullis.  
Præterea refovent homines ratioque, fidesque,  
Utraque lumen eis, ac inspiramina præstans.  
¿Sanctior ecquis enim, Christo quām Coetus ab ipso  
Fundatus, poterit verè et reverentior esse?  
¡Proditor at Christi e lectis fuit impius unus!  
¿Quis venerabilior paradisi plasmate primo,  
Quod manus omnipotens Divi miro ordine finxit?  
¡At mundum tetris lachrimis implevit Adamus!  
¿Num ternos natos habuit Patriarcha Noemus,  
E quibus exivit saltem reprobabilis unus?  
¿Nonnē duos Isaac, quorum reprobabilis alter?  
¿Nonnē Pater genuit duodenos sanctus Iacob,  
In quibus unus erat dignus dumtaxat habendus?  
¿Vincere quis tentet David pietate supernā?  
¡Turpia at ipse pius fecit nonnulla Monarcha!  
¿Divino zelo Salomonem quis superavit?  
Attamen et Salomon ¡quot facta inhonesta patravit!  
Si in septem primis altaris nempè ministris  
Perfidus haereticus Nicolaus substitit olim;  
Si cum Lucifero ceciderunt angeli ab alto,

Quis benè præsumet reputari a crimine tutus?  
Pectora cùm sontes reserant utcumque dolori,  
¡Quot bona pro lacrimis populi solatia captant!  
Et quamvis teneant peccantes viscera ferri;  
Ac ideò infaustè durum labantur in orcum,  
Immensùm poterit plorare caterva fidelis,  
Filia at alma Sion nusquam temerata manebit.  
Fornax vasa probat figuli, infortunia justos.  
Quis malè de Israel custodibus atque magistris  
Consensurus erit, quamvis prævaricet ullus?  
Numquid conciderant plures, quos corde profundo,  
Posteà pœnituit; proprio qui sanguine fœdas  
Laverunt noxas, palmasque in fine tulerunt?  
Sancta arcana Dei populus, spe dives, adoret!  
Si stella eclipsim patitur, paulo antè corusca,  
Aufugiant tenebræ nostris oratibus actis.  
Ne casset plangor, Satanas si tristè subegit  
Infaustum famulum, Christi de ingente cohorte  
Peccato abreptum, ipsiusque ligamine strictum,  
Qui magno scelere hispanas perterrituit urbes,  
Pagos, et vicos parili terrore premendo.  
Flectamus genua, et nostras ut præcipit Esdras,  
Fundamus lacrymas tantis pro casibus atras:  
Sic ignominiam Sponsæ delebimus Agni,  
Atque fide in sanctâ fortis perstabimus omnes.  
Interea, oh Præsul, venerabilis, inclyte Martyr,  
Victima apostolici zeli, qui fervido amore  
Divino accensus, generoso sanguine fuso,  
Rupe super solidâ fundasti denique Sedem;  
Qui tibi commissis ovibus monimenta salutis  
Sospes, et exspirans dederas, et pabula vitæ;  
Nunc autem felix, mortali cortice pulso,  
Præmia virtutum capturus, ad astra vocatus,  
Lumine fulgenti locuplex, super æthera vivis,  
Cum sanctisque choris Domini magnalia cantas;  
Respic in hanc patriam lacrymarum gurgite mersam;

Ipse pios oculos ad fidam verte catervam,  
Atque precare Deum, ut' devotio crescat et ardor.  
Robora debilibus præsta; succurre cadenti,  
Ac pro carnifice, ante thronum jam Cœlitis ora,  
Ut non dispereat, perfusus in arbore sanctâ,  
Ipse Cruor Christi, salvandis omnibus aptus.





# PLANGOR

SUPER TUMULUM

R. PATRIS FR. JOSEPH DE BARINAGA. O. P.



## ELEGIA

¶Cur fletus mare per facies prolabitur omnes?  
¶Quae nova mortales tristia fata premunt?  
¶Annè Patrem Joseph, præceptum falce sinistrá,  
    Sustulit e claustris invida parca malè?  
¶Nùm sanctus juvenis, quintum cùm vix ferè lustrum  
    Expleret, periit...! ¡Plange, viator homo!  
¡Optimus heu! frater, lenis, dulcisque Sacerdos,  
    Dùm claustra innocuo tangeret ipse pede,  
Tempora dimidians orando, simulque studendo,  
    Exiit e terra...! ¡Terra dolore freme!  
Ordinjs illustris, qui verum prædicat orbi,  
    Inclyta spes obiit...! ¡Lugeat Ordo sacer!  
Qui foret insignis Cœtus columenque decusque  
    In tristi tumulo flebilis ecce jacet!!  
Hic jacet exanimis, revera pulvis et umbra,  
    Cui natura priùs plurima dona dedit!  
Candidus ¡heu! juvenis, qui sena volumina acutè  
    Scripserat, hic rigidus mobilitate caret!  
Defeat extinctum sacrata scientia solem!  
    Utilis ars tantum defeat orba Patrem!

Rore pluat tetro Parnassi in vertice sacro,  
 Maxima nam vatum gloria adempta fuit!  
 Sideris occasum deploret nobile prælum,  
 Nam rapto Joseph, grammata muta manent,  
 Vos etiam, pueri reverendum flete Magistrum,  
 Qui et sanctis monitis, et pietate potens,  
 Ad verum vestros animos flectebat amanter,  
 Roreque cœlesti nempè rigabat eos.  
 Pulpita dulce suum jubar, atro funere demptum  
     Tristia commemorent ac viduata gemant!  
 Et clarus populus, modulos qui primus ab ejus  
     Excepit labris, lugeat absque modo!  
 Cunctus eum planetu mundus perfundat acerbo!  
     Omnibus ex oculis lacrimæ abundè fluant.  
 Attamen haud liceat vobis ululare, parentes,  
     Si natus cœlum cuncta per æva tenet.  
 Vos etiam lacrimis, felices, parcite, fratres,  
     Si vester Joseph aethera scandit ovans.  
 Tu quoque solamen, mediis in fletibus, amplum,  
     Percipe, splendescens, Dominicana Cohors.  
 Fulgidus in Christi plantatus flosculus horto,  
     Quem vi doctrinæ crescere, et arte bona  
 Fecisti, coelum translatus nuper ad altum,  
     Lucet, et angelicos occupat ipse choros.  
 Tu quoque solamen capias, electa caterva,  
     Quæ Christi sequeris, non maculata, vias.  
 Tu mentis si oculos reverenter tollis in altum,  
     Cernis ibi Joseph luce micante frui.  
 Lætare et gaudie, dum gaudens frater amandus  
     Vivat in excelsis laudificando Deum.  
 Tuque, bone oh Joseph, nitidis qui tempora sertis  
     Cinctus, in aethereis sedibus ipse micas,  
 Frater amande nimis, fratres qui dulcè colebas,  
     Ac hodiè angelicis jungere spiritibus:  
 Cœlitus, oh juvenis, data cui fuit alta potestas  
     Guzmani faciem cernere lætificam,

Pro nobis ora, tanto in discrimine jactis,  
Proque Dei populo, corde precante, roga.  
Totque malis, ora, ut relevata Hispania, victrix  
Exeat extemplo, munera pacis habens.  
Meque tibi adjunctum sacratis nexibus altis,  
Cantica fac laudis dicere posse Deo.





## SUPER TUMULUM

Revdi. P. Fr. Joachim Alonso Florez O. P.

SUBITÒ DECESSI IN COVADONGA. (1879.)

†

### INSCRIPTIO.

Petreas hic tumulus, sacratus Rupe sub almâ,  
Sancta Sacerdotis peregrini continet ossa.  
Signifer ipse fuit Guzmani, et nobilis astur,  
Cauria (1) quem sophiae documentis reddidit amplum,  
Hic lecto ex placido, noctu, sinè mortis agone  
Ad cœlum fugit, Divæ succensus amore.



---

(1) El P. Joaquín pertenecía á la honorable comunidad de Padres Dominicos del Colegio de San Juan de Corias en la provincia de Oviedo, y era natural del concejo de Somiedo.




SCRIPTIO IN ANNALIBUS  
*S. E. Collegialis de Covadonga de*  
R. PATRIS JOACHIMI  
clarâ vitâ, et pretiosâ, licet subitaneâ et  
improvisâ, morte.

AD PEREGRINOS.

**S**i innocuam sobolis Guzmani noscere vitam  
Quæritis, ac obitûs pretiosi scire tenorem,  
Audite insolitæ, peregrini, oracula vocis.  
Ordinis ipse fuit, qui verum prædicat orbi,  
Eximus frater; sapiens fuit ipse Sacerdos.  
Nobilis astur erat, claro de sanguine natus,  
Atque Sacerdotum fraterque, neposque piorum.  
Cauria in Asturiâ generosæ lacte Minervæ  
Largè pavit eum. Sophia et virtutibus amplum  
Reddedit ipsa Domus. Guzmani veste receptâ,  
Protinus in sociis, sol sicut in æthere, fulxit.  
Tempora dimidiants, studio precibusque vacabat;  
Artes excoluit, doctoris adeptus honores.  
Abdita naturæ rerum reserabat acutè,  
Linguarumque scius dicebat et ipse disertè.  
Munus apostolicum, disciplinamque gerebat,  
Pluraque, dum vixit, benè concinnavit et auxit.  
Sic ferè septenis lustris pietate peractis,  
Hanc Divæ ad Rupem peregrinus adire resolvit.

Splendida Guzmani vexilla ad Virginis aras  
 Voverat ex animo, multoque ardore locare.  
 Ipse manu firmâ signum spectabile portans,  
 Multaque cùm laetis peregrinis cantica pangens,  
 Indutus nitidâ Patriarchæ veste sacratâ,  
 Virginis hûc sospes cecinit laudesque, decusque.  
 Denique luciferi nondum splendore suborto,  
 Idibus Augnsti, Divæ festoque dicato,  
 Ex lecto placido, nullo luctamine mortis,  
 Ustus amore Dei, discessit laetus ad astra.  
 Attamen exuviae, signumque in Rupe manebunt.  
 Visere cùm venias, peregrine, has Virginis aras,  
 Mater ubi Excelsi miracula navat amanter,  
 Guzmani Sobolis nomen memorare libentè.





PLANGOR ET LAMENTA  
fusa super sepulchrum Prætantissimi ac  
ILLMI. DRIS. D. BENEDICTI FORCELLEDO,  
EPISCOPI ASTURICENSES,  
pariterque  
**CUMULATUM SOLATIUM**  
PROPTER FAUSTAM ELECTIONEM  
DRIS. D. D. FERDINANDI ARGÜELLES MIRANDA  
AD ILLAM SEDEM OCCUPANDAM.



Si fletus mare per facies dilabitur ingens,  
Quotque anni venient mortales flumine largo,  
Nocte dieque genas mæsti vultusque rigarint,  
Non unquam satis effletur mors Praesulis aequi.  
Revera, asturici, non vos sinè pondere causæ  
Fletis, et ad cœlum questus perfertis amaros.  
Si omnes !heu! lacrimas, pueri, javenesque, senesque  
Funditis, haud mirum; vehemens est causa gemendi.  
Invida parca ferox rapuit temerante securi  
Prælatum sanctum! Simul abstulit impia vestram  
Puram lætitiam, fateor vestramque salutem.  
Eximus vester periit Pastorque, Paterque!  
¡Pro dolor! in lacrimas vertantur lumina vestra!  
Nos etiam tristes ipsum lugemus amarè;  
Nam Benedictus erat dulcis, bonus astur, amicus  
Eximus, clarus concivis, gnarus et amplus.

Natus in Asturiā, proterit non vellere aceras  
 Continuò lacrimas oculis ex omnibus? E:quis  
 Ex nobis, inquam, valeat non flere perennè  
 Jacturam floris, qui nostris ortus in agris,  
 Fragranti populum nostrum recreabat odore?  
 Nullus in orbe dolor mortales tantus adegit,  
 Nec tantas oculi lacrimas diffundere motu  
 Unquam majori poterunt...!! Est attamen altum  
 Luciferatum cœlum quod terra amisit amara.  
 Vos illi in terris summum tribuistis amorem;  
 Nunc Deus omnipotens ipsum super astra locavit.  
 Fiat in æternum Superi divinæ voluntas!  
 Parcite vos lacrimis; mærorem solvite demūm,  
 Nam dictis querulis Sanctosque Deumque vocantes,  
 Plebis in auxilium non frustrà tanta rogastis.  
 Nempe fuere preces auditæ: jamquæ misertus  
 Vestri non orbos patitur Deus esse benigno  
 Pastore. ¡Oh sapiens cunctum qui dirigit orbem!  
 Ipse Dœi digitus jam designavit amandum  
 Qui duplex patris officium simul atque magistri  
 Expleat. Ah! Prudens, virtutibus omnibus altis  
 Prædictus, asturici, vobis est Praesul adeptus;  
 Jucundus, dulcis, divinitus ore disertus,  
 Providus, atque, pius, sapiensque, nimisque modestus.  
 Miranda est virtus, quæ semper fulget in ipso;  
 Miranda est ejus facundia. Quid loquor autem?  
 Stemmata verè ejus miranda tulere priores;  
 Nobile cognomen *Miranda* illustrat, et auget  
 Heroëm tantum. *Miranda* est ejus honestas,  
 Omneque mirandum, quod possidet intùs et extra.  
 Este, precor, læti; asturici, jam cernite Patrem.  
 Leniter ire truces vestros relevare dolores,  
 Atque manu tenerà vestros benedicere natos.  
 Exsultate igitur: tanto vos esse favori  
 Debetis grati; summissaque corda parate.  
 Protinus in sacris dicentem pulpito et, æde,

Voceque persimili, possum si dicere, Divi,  
Æthere cùm tonat, orantemque videbitis ipsum,  
Hæresis infandos errores vincere fortem,  
Ægrotasque animas medicari naviter omnes:  
Mentibus in vestris spargentem semima vitæ.  
Denique jam populo impleto dulcedine tantâ,  
Quid superest? Divum tanto pro Patre precemur.  
Longa rogate Deum, vivat felicia lustra  
Ad cunctæ plebis bona perpetualia...! Vivat!  
Vivat, et interea volitans pennata per orbem  
Fama ejus totas virtutes propalet altas.  
Sintque Deo sancto in cœlo exaudita benignè  
Vota, precesque meæ. Salve, dignissime Præsul.






SUPER TUMULUM  
PRÆSTANTIS JUVENIS  
**JULII GOMEZ ESTRADA.**

— \* —  
EPITAPHIUM.  
—

Bis denos sum annos lacrimosâ in valle moratus;  
Bis bacchar cinxit fronte Minerva meâ.  
Vitia deterrens, virtutis cultor abivi...!  
Non paulùm vixi si modò vivo Deo.





Ad Posteritatem et patriam,

# G. CASTAÑON

in mortis agone.

## ELEGIA.

Natus in Asturiâ, praeclara stirpe profectus,  
Accepi ex atavis nominis acta mei.  
Jam puer in ludo multis recreabar amicis,  
Quos in Gymnasio purus adauxit amor.  
Bacchare præcinctum me exceptit in æde Minerva,  
Temporibusque meis laurea certa dedit.  
Jam vir ad eloquium, causas studiosus agendi,  
Accessi, exercens munera grata fori.  
Pectore tunc sanctus patriæ succenditur ignis,  
Vulneraque Hesperiæ vulnera duco mea.  
Quorumdam nuper spuriorum perfida turma  
Prædulcem patriam scindere quærerit hebes!  
Indica nunc regio, sceptrum quæ illustrat iberum,  
Hispani populi bella corona nimis;  
Insula, quam reperit sapiens, magnusque Columbus,  
Sufferet jnfandum! perdere Metropolim?  
Ecce ego multimodis calcata hispanica jura  
Viribus ipse meis salvificare volo!  
Ecce ego, qui in tetrum surgens occurro inimicum,  
Si fortè ignavus despicit arma togæ.

Dulcis amor patriæ, tantis incuribus actæ,  
Vindictæ me avidum longius ire movet.  
Non longos annos cupio, non Nestoris ævum,  
Si patriæ labes ipse cruore lavem.  
Extera jam tellus, nostrumque perosa decorem,  
Me tenet! at diras undique cerno feras.  
Hei mihi! dum cultos cives reperire putabam,  
Agmina dumtaxat sentio carnificum.  
Nulla mihi leges servandi oblata facultas;  
Infensis telis obrutus intereo!  
Non tibi, quas celeber peperit CORTESSIUS olim,  
Non tibi lucrabor quas *Genuensis* opes;  
Non quas heroës soliti conquirere laudes,  
Has tibi persolvo, patria amanda mea;  
Attamen hanc miseram, potui quam degere, vitam  
Aris suppositis denique fundo tuis.





†

Ad decessum gloriosum

**DOM. BOSCI.**

---

ELEGIA.

---

Quid tristis querulis ululatibus ejulat Auster,  
Qui nimis insolitis, mæstisque susurribus instat?  
Cur vetus Europe clamores edit amaros?  
India cur gemitus jacit, et gemebunda agitatur?  
Quomodò quas reperit regiones ipse Columbus  
Multiplicesque plagas ingentes occupat angor?  
Ergo percelebrem, claro cognomine Boscum,  
Atque Virum sanctum, summa pietate nitentem,  
Invida parca malè exceptit falce sinistrâ...!  
Ergo, qui heroum speculum fulgebat in orbe,  
Vir simplex, humilis, divini Cordis imago,  
Qui tantas sospes lacrimas siccaverat atras,  
Obrutus occubuit lacrimis fletuque suorum...!!  
Ergo quem Patrem tristis pupillus habebat,  
Quem vocitabat inops, quem pauper et orphamus una  
Clamabant Patrem, rigido sub marmore marceret!!  
Qui nuper mundum recreans virtutis odore,  
Ipse bonâ famâ, et gestis impleverat orbem,

Exiit e vivis, pietatis Apostolus almus!!  
 Heu! Domnus Boscus pia lumina clausit in ævum!  
 Clara urbs, Taurinum, quæ tot miracula vitæ,  
 Et sanctæ mortis Bosci tot signa notasti;  
 Mensuram cumula lacrimarum: pande dolorem,  
 Pectora qui laceret nimium, robusta virorum!  
 | Pro dolor! Extinctum Patrem Salesius Ordo  
 Defeat! Heu! Patrem deplorent patre carentes!  
 Si e terrâ erectus, Boscus super astra volavit,  
 Orba juventa, gemel | Oh! quænam nunc auris amica  
 Prompta tuos poterit questus audire libenter?  
 Si jam qui pueros nanciscens esse beatos,  
 Quique viros aptos patriæ reddebat amanter,  
 E mundo aufugit, ne cesses flere, juventa!  
 | Quem nunc altorem vocitabis? quemve magistrum?  
 | Quis te de noxis arcebit, candida pubes?  
 | Quem tibi in auxilium appellabis rebus in artis?  
 | Quis mentes teneras saturabit lacte Minervæ?  
 | Quis vos in mundo vitare pericla docebit?  
 | Heu! facies hominum tenuentur sente doloris!  
 | Ora virûm largus lacrimarum proluat imber!  
 Si Thaumaturgus, qui in toto cognitus orbe  
 Unicus extiterat, dives super æthera scandit,  
 | Quis navare dehinc poterit tot signa stupenda  
 Pro tantis pueris cœlesti pane cibandis?  
 | Optime Bosce Pater, cur parvos deseris orbos?  
 | Cur tantos linquis juvenes in gurgite mundi?  
 Ne, Pater, abducas peramantia lumina ab ipsis;  
 Ne vè tuo influxu vel viribus agmina prives,  
 Quæ tu magnoperè et tanto sudore creasti.  
 Non a gymnasiis oculos avertere tentes:  
 Spiritus ipse tuus sancta inspiramina confllet;  
 Et quas infusis refovebas artibus olim,  
 Ipse scholas hodiè cœlesti dirige amore.  
 Tu verò haudquaquam morieris, Bosce benigne...  
 | Quomodò jam posset divinus Boscus obire?

¶ Ausum quis faceret miracula plura patrandi  
Pro tantis Domibus sanctâ pietate regendis?  
Si magnis gestis, virtutibus insimul amplis,  
Ac ejus famæ mundus completur odore,  
Quomodò vel nomen, vel numen Boscr abolendum?  
Donec erunt tristes pueri sine patre dolentes,  
Spiritus innocuus Boscr volitabit in auras  
Vocibus attendens puerorum pane carentûm.  
Sedibus e celsis, ubi perpeti pace fruaris,  
Bosce, faveto tuis admiratoribus istis.  
Protege tûm pueros, orbam tûm protege pubem.  
Et quos pauperies horrenda subegerit atrox,  
Ægide, Bosce, tuâ fulgenti conuge semper.  
Conserva has operas, quas hîc tuâ dextera fecit,  
Et successorum benedic cum laude laborem.  
Denique, Bosce, tuum præsta mihi dulce juvamen,  
Quando tuum memorans nomen, fervore vocabo.





# AD GLORIOSISSIMAM MORTEM SSMI. P. NOSTRI PI<sup>I</sup> PAPÆ IX

FELIC. ET SANCT. RECORDATIONIS.

## ELEGIA.

¶ Sidera, terra, mare elementaque cuncta gemiscunt!  
¶ In sacrâ aulæum scinditur Æde nitens!  
¶ Quid nimis infelix in partibus accidit orbis,  
Quod tantum luctum, mœstitiamque parit?  
¶ Heu! Pius excelsus, mundi columenque, Paterque,  
E vitâ cedens, raptus ad astra fuit!  
Munera qui lustris septenis sancta peregit,  
Atque Dei gessit perbenè in orbe vices;  
Qui verus fuerat generis protector Adami,  
Dormiit in Domino! ¶ Mortuus annè fuit?  
Mortuus est... minimè; nam Papa per omnia vivit  
Sæcula; at e terris astra petivit ovans!  
Perdidit heu! valdè Tutorem terra potentem;  
Ipse tamen scandit Cœlitis usque thronum.  
Majorem Patrem quām sæcula cuncta habuerunt,  
Perdidit humanum proh dolor! omne genus!  
Debilis, ægrotans in cuncto tramite vitæ;  
Fortis at et validus debilitate sua;  
Ipse qui et infenos conatus sustulit Hydræ,  
Sæpèque eam vicit voce potente sua;

Qui verbis illis «*Non possumus*» extitit altus,  
Queis, prout immensis viribus, usus erat;  
Heros sæclorum, signatus nomine MAGNI,  
Transit ad vitam mortis agone levi!  
Qui Servus fuerat servorum, Rexque potentum,  
Qui albos et nigros duxit amore pari;  
Qui totum mundum magna pietate fovebat,  
Mundum deseruit....! cœlica regna petens.  
Jubila cœlicolæ manifestant maxima valdè,  
Qui Magno Papæ jam diadema sacrant.  
Tum quoque Pontificum lætatur candida turma,  
Namque suum Fratrem cernit in Arce Dei:  
Et quia securum telis, armisque inimicis,  
Fulgentem secum, cuncta per æva tenet.  
Oh terra infelix! Quisnam te lumine ditet,  
Si jubar eclipsis nupsit in æva tuum...!  
Sanè lætentur coeli; sed terra gemiscet,  
Dùm natura suum jus perhibere velit.  
Gaudeat in cœlis Sanctorum exercitus amplius;  
Gaudeat in primis sancta Dei Genitrix,  
Cujus in hoc mundo Pius amplificavit honores....  
Exultet nimiūm cœlica cuncta cohors.  
Attamen ecquisnam poterit non plangere acerbè,  
Pro tam dilecto Patre, et amante simul?  
Terrenis lacrimis miscentur jubila celi,  
Donec lamentis parcere quisque queat.  
Quis modus est lacrimis ex imo pectore fluxis?  
Quis, si animi est fletus, siccat, et arcet eum?  
Terra, tuum planctum ne tardes edere longum,  
Te licet in lacrimis obruat unda maris!  
Si tua te obscurum liquit jam Stella polaris,  
Atque tuos oculos nubila nigra premunt,  
Plangere ne cesses, quamvis in fluctibus atris  
Immersa jheu! pereas! Magnus uterque dolor!  
Complorent saltem qui qui cognomine PATRIS  
In toto mundo nunc venerantur EUM!

Complorent certè qui qui benefacta ab EODEM  
Sospite sunt nacti, donec in orbe fuit!  
Complorent miseri, quibus Ipse juvanime favit;  
Et siccis oculis non erit ullus homo!  
Divinus Pastor, degens in vertice montis,  
Sedulus IPSE omnes conspiciebat oves.  
Dulciter alliciens homines, augebat ovile,  
Golgotha opus peragens laude et honore Dei.  
IPSE vices Christi magno fervore gerebat,  
Curans idcirco ut nulla periret ovis.  
Et si omnes alijs rectè servare nequibat,  
Divum pro miseris IPSE rogabat adhuc.  
Indè venit mundo in Papam veneratio summa;  
Indè Patrem Papam quisque vocare potest.  
Si tūm Pontifices vicit Pius Optimus omnes,  
Ut totus mundus conscious esse valet;  
Coelica si Petri superavit gesta, diesque,  
Et prior idcirco Sanctus in orbe cluet;  
Quid facient homines nisi plangere nocte dieque?  
Quid nisi cum lacrimis jungere ritè preces?  
Si non jam nostris oratibus indiget IPSE,  
Nunc quia jam tetigit dona parata sibi,  
Prosint cum precibus lacrimæ suffragia nobis;  
Plangere pro nobis atque rogare juvet.  
Sic mediator erit pro cunctis Papa beatus,  
Quem parca a nobis prorsùs avara tulit.  
Nobile præsidium, nuper, lumenque, decusque  
In terris nobis, duxque perennis erat;  
Nunc autem nobis oculos extollere in altum,  
Expedit, ut lumen cernere quisque queat.  
Nonnè isto in casu nobis est penè necesse  
Sperare auxilium desuper, aut ab Eo?  
Oh PIE præcellens, mundi servator amice!  
Nos servare vales solus ab hisce malis.  
Porrò tuam mortem nobis traxisse ruinam  
Afferit inclemens, impius hostis hians.

Cuncti se jurant nacturos esse triumphum,  
Et Divi populum jam sine Patre mori.  
Ne nos, oh Pastor, diro in certamine linquas  
Orbos; neve greges damna subire sinas.  
Nevè novas capiat Revolutio pesima vires,  
Quæ nostras animas sæva vorare cupit.  
Fac ut et e coelo veniat spectabile lumen, (1)  
Quod nuncusquè tuis fulixerat auspiciis.  
Fac, ut mox Leo descendat de montibus altis,  
Ut cunctos hostes devoret ipse tuos.  
Procura, ut populus, quem tam dignanter amabas,  
Laudet in æternum nomen, opemque tuam.



---

(1) Ocho días después de escrita esta plegaria, teníamos ya los católicos un León, con el lema «*lumen in caelo*»; por manera que el autor, sin darse cuenta de lo que escribía, resultó tener espíritu profético.



# AD CRISTOPHORUM COLOMBUM



Inlyte Cristophore, insignis, mirabilis heros,  
Qui Genuæ natus summo incunabula honore  
Replesti, et mundum cumulasti laude perenni;  
Qui tamen, ut genius, patriam sinè limite cunctum  
Terrarum capiens orbem, splendoribus imples,  
Et tamquam Prior extremis celebraris in oris;  
Strenue Vir, sapiens Nauta, et celeberrime Ductor,  
Qui Divi afflatu, et cœli inspiramine pollens,  
Nupti hemisphærî faciem reperire reposcens,  
Fraterno antipodes amplexu jungere avebas:  
Dux immortalis, fidei qui viribus auctus  
Ignota intrepidè Neptuni regna requirens,  
Et ponti furias spernens formidinis expers,  
Inventum mundum volvebas mente serenâ;  
Alta tibi ratio, vel firma scientia junctim  
Orbis dimidium dictabant te esse habiturum....  
Certius esse tibi sub cœlo quid ferè posset?  
Attamen haudquaquam licuit convincere gentes,  
Nec mentes hominum, quos tunc florere videbas,  
Legibus explicitis logicæ submittere quibas.  
Huc illuc errans, lacerato corde dolore,  
Ac semper fundens lacrimarum flumen acerbum,  
Ferrea nequicquam pulsabas limina regum,  
Nec surdas aures magnatum fortè ciebas.  
Magna prophetando, et rationibus ritè probatis,


Aëra complebas vacuum clamoribus atris,  
Et frustra imperii, procerumve palatia adibas;  
Nam tua vox, echo tamquam disperdita in auris,  
Vana prout stulti, deliramenta vel ægri,  
Civibus e propriis irrigsum traxit amarum.  
Genua te jnfanum! minimè exaudiverat olim....  
Herculè totus erat mundus tibi patria dandus,  
Namque aliam genius patriam non noscere suescit.  
Quisnam prætereà in propriâ tellure propheta  
Maximus esse quiit? Tu certè ad gentis iberæ  
Robur et augmentum destinabar is ab Alto.  
Cœlitùs emissus, te adducet nobilitatis  
Angelus ad patriam, collustrans luce supernâ.  
Si Genua, et Veneti, et præcellens Anglia fortè  
Hoc systema tuum figmentum futile habebant;  
Si Lusitanus, postquam te exceptit amanter,  
Te prout amentem, hæreticumque reliquit;  
Protinus ad Portum, vulgari nomiñe Palos,  
Te fortuna trahet clemens, ut provida mater.  
Mox ibi, non longè, hospitium solamine plenum,  
Dulciter invenies, Cherubim pietate paratum.  
Te pius excipiet Custosque, Paterque Joannes,  
Qui quoque Marchenæ implevit cognomine mundum.  
Te, puerumque tuum saturabit pane et amore,  
Atque tuam sophiam purus livore notabit.  
Sacra Domus, voti quæ stricta ligamine floret,  
In quâ virtutes simul, et sapientia fulgent,  
Ipsa tuo cordi præstabit dulce levamen.  
Macte animo! Amplificum Divus vult nomen iberum,  
Teque, prout superum genium, super astra locabit.  
Hispanus fies, et princeps gentis iberæ,  
Quæ in centum pugnis maurorum signa recusxit,  
Atque Dei, et patriæ prostravit fortiter hostes.  
Mox tua progenies hispanum nomen habebit,  
Quod patrii annales ostendent lumine et auro.  
Plurimi in Hesperiâ sapientes, gloria mundi,

Jam systema tuum cum mentis acumine cernunt,  
Atque tui verbi praecones denique fient.  
Postmodo qui imperii moderantur fræna peritè,  
Pondera perpendent rationum summa tuarum.  
Altera Sacra Domus, titulo Mercedis adancta,  
Quam Pater ANTUNEZ mira dulcedine fulcit,  
Atque suis muris præfortis Corduba munit,  
Plausibus ipsa tuas artes super astra locabit.  
Inclyta DOMINICI sapiens, et candida turma,  
Quam Sancto in Stephano Salmantica clara recondit,  
Et magnus Didacus de Deza, vir reverendus,  
Doctrinâ illustrat, toto tibi corde favebit.  
Te quoque Toleti, Mendoza, et Præsul, et altor,  
Proteget, et pariter cumulabit perpetue honore.  
Tunc super ignaros adipiscens ipse triumphum,  
Errores vinces, quos gens fanatica prendit.  
Semper sancta viros Ecclesia protulit amplos,  
Qui humano generi laudemque decusque dederunt.  
Pretereà hispani semper fulxere monarchæ,  
Qui implerunt cunctum doctrinâ et nomine mundum.  
¿Quid tibi Catholici possent non reddere Reges,  
Dùm tua compleri cuperent tot signa stupenda?  
¿Quid tibi Regina abnueret mirabilis, alma,  
Si te perspiceret miracula tanta patrantem?  
Nobilis Elisabeth, fuerit si fortè necessè,  
Ipsa suos vendet torques, nitidosque lapillos,  
Regia queis splendet proavum stellata corona,  
Ut pretio ingenti omnimodis, et ubique coacto,  
Omnia quæ exoptes, teneas ad gesta paranda.  
Fœmina ibera suas fisco conducet inaures,  
Si fortè incepsum peragendum suspicit altum.  
Infima plebs etiam similis magnatibus extat,  
Dummodò de patrio saltèm tractetur honore.  
¿Quid tua non poterunt magnalia consequi ab istâ  
Gente, quæ ad insolitum gestum fit jugiter apta?  
Nil tibi jam deerit, celebrande, et nobilis heros;

Ternis jam modicis transcendes navibus æquor,  
Et benè munitus nautis, et milite forti,  
Rex eris in ponto; et numerabis sidera cœli,  
Nautica si errat acus. Tibi fas erit ire per undas,  
Ac hemisphærî positum, metamque cupitam  
Denique pertinges. Et verè, magne Colombe;  
Ipse tui ingenii super alas, paupere pinu,  
Atque fide fretus, confotus Numine cœli,  
Per cæcas undas Neptuni sceptræ tulisti,  
Atque novas terras, promissas cœlitūs, amplas,  
Cordis in ærumnis cum delectamine mixtis,  
Denique lætanter tetigisti sospes, ovansque.  
¡Salve! Jam mundum reperisti, tam deamatum;  
Bisque quater totum feliciter æquor arasti;  
Jam cœlo et terræ spectacula summa dedisti.  
Attamen ut sophiæ, simul et virtutibus altis  
Ipse pari studio, et magnâ pietate vacares,  
Fortè necesse fuit duros te ferre labores,  
Ictus invidiæ, rixas, convicia sœva,  
Et quæcumque monent perversæ dæmonis artes.  
Nempè suam Satanas jacturam suspiciebat;  
Quapropter laqueos, obicesque, dolosaque tela  
Sæpè tuis posuit gestis in tramite vitæ.  
At quamvis homines infidos semper habebas,  
Altos, aut humiles, qui tecum, more luporum,  
In cuncto vitæ discrimine se perhibebant,  
Et tua solverunt malefactis fulgida gesta;  
Te tamen extremò victoria maxima mansit;  
Grataque posteritas veneratur ferrea vincla,  
Quæ tibi crudelis livor fabricaverat atrox.  
Fulget in historiâ virtutum summa tuarum;  
Teque tribus omnes benedicent cuncta per æva.  
Optimus in cuncto fusè celebraberis orbe,  
Dùm tui in historiâ exsecrentur crudi inimici.  
Nomina quis memoret jam Bobadillæ et Ovandi,  
Qui te multimodis quærebant perdere furtim?

¡Divus eis utinam veniam concesserit amplam...!  
Tu tamen invictus, sine curis, absque dolore,  
Sanctus in excelso per saecula vivis Olympo.  
Te pia commemorans, Ecclesia prorsus honorat,  
Atque tibi forsitan thuris praestabit odorem.  
¡Oh heros! utinam sacris venereris in aris,  
Cœlica quandoquidem meritò tua gesta vocantur!  
Ipse greges Christi numero exaugere volebas,  
Milleque christiadum donasti millia Christo.  
Sanctus eras vivens; nunc autem porrò beatus.  
Dùm tua miremur magnalia, et inclyta facta,  
Quae quondam sospes terraque, marique patrabas,  
Pro patria hispana ne cesses poscere Divum.





AD PRÆSTANTISSIMUM VIRUM,  
CHRISTOPHORUM COLOMBUM,  
DUCEM DE VERAGUA.



Inlyte, qui fulges heresque, neposque Colombi;  
Cujus cognomen claro cum nomine nectens,  
Lux es nobilium, speculum, procerumque corona;  
Iste tuus titulus, quem conquisiverat olim  
In medio Oceano summis cum plausibus Heros,  
Corde tuo in magno virtutum germina ponit.  
Dux de VERAGO, de heroum sanguine es ortus,  
Atque tuis meritis splendorem stirpis adauges.  
Ille tuus PROAVUS, quem nullus in orbe peræquat,  
Castellæ in Capite ;heu! meritorum dives obivit...!  
Cur non in fanum convertis, dulcè colendum,  
Has ædes humiles, desertas, atque profanas?  
Quousque boum (1) stabulum gens contemplabitur, ædes,  
Quas Heros lacrimis extremis ipse sacrarit?  
Si nunc qui Hesperiae in moderantur publica fræna,  
Duriter immemores heroem non venerantur,  
Quomodò, vir, pateris, de ejusdem sanguine nate,  
Esse CASAM VACCIS, ubi mortuus extitit ipse?  
Esto vir, et loculos aperi generosus et amplius.

---

(1) La casa donde murió el gran Colón, que debería ser un reliario, es en la actualidad «casa de vacas», así como suena.

Taurorum centum pretium da plusvè minusvè,  
Et jam Musæum poteris sic condere dignum,  
In cuius centro effigies veneranda Colombi  
Fulgeat in mediis aulæis pulchra venustis,  
Rebus, et utilibus, quæ vivens, ipse tenebat.  
Sic benè de patriâ et de stirpe mereberis amplè,  
Atque tuum nomen summum super aethera habebis.  
Ejā domum repara, quam mundi maximus Heros  
Sacravit lacrimis in tristi mortis agone.  
Saltèm munificè monumentum construe magnum,  
In cuius facie persculpta in marmore et auro,  
Hæc sit apud gentis inscriptio semper aperta:

## INSCRIPTIO.

---

Spiritus Herois, qui orbem magnalibus auxit,  
Ædibus ex istis astra petivit ovans.  
Vir fuit eximius, sapiens, humilisque, piusque,  
Et mundum reperit, perpeti laude, novum.  
Ipse fide plenus, præsertim rebus in arctis,  
Fugit ab insidiis liber et incolumis.  
Devictis sævis inimicis ipse pepercit,  
Et veniâ facili traxit ovanter eos.  
Sustulit immites terrâque marique labores;  
Justitiam coluit ductus amore Dei.  
Denique divinis munitus dulcibus armis,  
Rebus tractatis, compositisque suis,  
Fratribus et natis adstantibus, inclytus Heros  
Dormiit in Domino, cœlica regna petens.  
Discite, mortales, sectari exempla COLOMBI,  
Qui quamvis heros, sanctus et ipse fuit.





## SUPER TUMULUM immortalis Christophori Colombi.



TABULA RUPTÆ NAVIS EJUS. (1)

**J**am pridem ruptæ sum fracta tabella phaseli,  
Quæ imperium quondam breviter super æquora gessi;  
Me dirus boreas agitavit, sivè refovit;  
Ipsa novum mundum tetigi, fluitando per undas.  
Nunc vetus, et vanus truncus, miserabilis exto.  
Quondam fagus eram, foliis ornata sonoris,  
Cum quorum strepitu Heroem celebrando canebam,  
Quem pia per pelagum super alas posteà vixi.  
Libera nunc tumulum comitor discriminis expers;  
Et licet exuviae magni sunt ossa COLOMBI,  
Ejusdém taceo sanctum, venerabile nomen;  
Ne fortè ex duro, pia gens, commota dolore,  
Denuò in Oceanum per fluctus nempè tumentes,  
Nos trahat invitox, lacrimarum flumine vectos.



---

(1) Habla la tabla personificada. El pensamiento es del insigne poeta D. Francisco de Quevedo.



AD EMINENTEM PATRITIUM,  
CELEBERRIMUM ASTUREM,  
COMITIORUM PRÆSIDEM.

—♦—

ACROSTICHIS.

A urea Fortunæ si olim delubra patebant,  
V ictor cùm patriæ celebrandus Duxve, Paterve,  
E bello rediens, laurum cum pace ferebat,  
J actante innumerâ turbâ de lande triumphi,  
Q uidnam potuit faustum dea dignius unquam  
S e perhibere suis lætanter in ædibus almis?  
E uge, perillustris quondam, nunc roboris expers,  
P rostrata Hesperia, immitti lacerata dolore:  
H eroum mater, lacrimis fas parcere tandem.  
D esine jam fletum. Salvam jam providus ASTUR  
D et magnam faciens, summi te ad culmen honoris  
P rotinus extollet. Sanctis te Legifer amplus  
O rnatam monitis celeberrimè ad astra levabit.  
S æpiùs ad magnos votis revocatus honores,  
A bnuit imperium Joseph reverenter adire;  
D enique jam meritis fulgens, Lare jamque relicto,  
A d nostræ patriæ laudem, populique salutem,  
H ic Vir conspicuus primatûm cessit ad urbem.  
E n nitet insignes inter doctissimus omnes,  
R ecti consilii compos, mirèque disertus,  
R elligence amans, solii, altarisque columna.  
F ecce sedet Comiti Præses venerandus et amplus.  
R espice, prælustris Joseph, nunc vota tuorum,  
A tque tuum nomen cunctum celebretur in ævum.





# AD ALIUM VIRUM EXIMIUM.

## ACROSTICHIS.

Germane insignis, sapiensque, cluensque Patrone,  
Anchora justitiae, gloria, luxque fori,  
Magni consilii compos, scitissime rhetor;  
Accipe quæ gratè defero vota tibi.  
Zelo dùm flagres pro rebus agrestibus isthic,  
Omnis iberorum jam tibi plausus erit.





Ad Asturem Patrium  
HONORABILEM SENATUS  
PRÆSIDEM.



AGROSTICHS.

V ample Vir, eximum patriæ columenque, jubarque,  
V iribus ingenii miris, virtuteque pollens,  
E t nostræ Asturiæ multum venerabile pignus:  
M archio præsignis, procerum lumenque, decusque,  
A etiam plebis clypeum, et spectabile scutum:  
R egis præsidium, Solii reparator iberi,  
C ujus in Hesperiâ Fecialis maximus extas:  
H æc hodiè accipias venerantûm vota clientum,  
I n te dùm ponant sperantes corda libenter.  
O mnibus ornaris meritis in culmine honorum,  
D ignius attingens fastigia summa Senatûs.  
E cce tuum plaudunt hilarantes herclè triumphum  
B etis, Iberusque, auriferi Naloque, Tagusque.  
A nnales patriæ caelatum nomen in auro  
R eddere nempè tuum nitentur cuncta per æva,  
Z elo dùm parili serves altare, thronumque,  
A tqæ sacra Dei procures jura foveri.

**N**e pax nostrorum turbetur sancta Penatum;  
**A**lte Vir, iheul longè delubra averte deorum;  
**T**iminaque Hesperiæ luteis claudantur idolis.  
**L**ecta sit una fides, sanctum baptisma sit unum,  
**A**c nostro in populo Deus unus ritè colatur.  
**N**e, Pater, imminui patiaris coelica jura;  
**A**c ita dulce tuum nomen clarebit in ævum.





IN ORTU FELICISSIMO  
ALPHONSI XIII,  
HISPANIARUM AC INDIARUM REGIS.



ODE.

—

Noctis jam tenebras lucifer ejicit;  
Cœli jam rutilant splendida lumina,  
Atras post nebulas cominūs enitet  
    Astrum magnificentum spei.  
In cunctisque plagis alma serenitas  
Magnum fert oculis undique gaudium,  
Dùm fulgens radiis, luceque vividâ  
    Phœbus nubila dissipat.  
Jam transivit hiems horrida frigore,  
Deformem similans mortis imaginem,  
Lætum ver rediit dives aromatum,  
    Cunctos exhilarans viros.  
In signum placidum pacis amabilis  
Apparet renitens iris in aëre;  
Fines temperies ditat ibericos;  
    Omnes alma capit quies.  
Passim rubra seges, fertilis, aurea,  
Quæ campos hilares reddit et accolas,  
Fortassis cumplet fusiūs horrea,  
    Replens agricolas bonis.

Ornatæque comis, floreque fulgido,  
In nostris revirent tractibus arbores,  
Plenæ pomiferæ fructibus aureis  
Expletum cumulum ferent.  
Ultra non strepitus bellicus attonans  
In campis resonet fortis Iberia;  
Nec tristis litui clangor in oppidis  
Nostris intonet horridè.  
Ætas jam rediens aurea denuò,  
Felices iterū reddet ibericos,  
Tamquam cùm nitidum Titan in omnibus  
Lumen jecerat angulis.  
At, quid nunc solito lætius accedit?  
Cur ætas adeò fiet amabilis,  
Ut pacis populo pignora præbeat?  
Quid felicius evenit?  
—Exortus lacrimis, atque doloribus,  
Fletus atque precum filius agnitus,  
Tutelæ Hesperiæ desuper est datus  
Alphonsus Leo coelicus.  
In dextrâ viridem dulcè tenerimâ  
Apportans oleam Rex, puer inclytus,  
Ad pacem placidam clamat et advocat  
Omnes, pacis ut angelus.  
At quamvis oritur parvulus innocens,  
Jam cœli auspiciis maximus eminet,  
Et sertis nitidis tempora cœlitus  
Firmis legibus exhibet.  
Non verè Omnipotens absque juvamine  
Hispanum solium linquet et orphanum,  
Sed custos vigilans ensibus igneis  
Ipsum proteget acriter.  
Certè nobilitas gentis ibericæ  
Regis non patitur, debilis admodùm,  
Confringi imperium viribus improbis  
Contra jura perennia.

Hispanus subiens dira pericula,  
Ac summo pretio sanguinis inclyti,  
Infantum Solium sustinet integrum  
Semper rebus in arduis.

At verò æthereis sedibus Insidens,  
Qui mundi solidè fert moderamina,  
Alphonsum tenerum fulciet amplius  
In discriminé maximo.

Si quandoque premat dura necessitas,  
Vel fortè impietas urgeat imminens,  
Reverà armigerum cœlitus agmina  
Emittet Deus optimus.

Ac hostes Pueri denique proterent,  
Ipsos vel facient lingere pulverem,  
Dùm largè innocuis, atque fidelibus  
Divus præmia conferat.

Luctas politices, signa rebellia,  
Hispani abjiciant, atque libidines;  
Et rixas fugiant, atque licentiam;

Pax jam floreat unicè.

Natali in Pueri Regis Iberiae  
Læti cœlicolæ cantica concinant;  
Parcant nunc homines fletibus anxiis,  
Ac hymnos recinant novos.

Pangant et citharis plectripotentibus  
Ardentes melici, flosque poëseos;  
Et museæ celebres Hesperiæ canant  
Ortum Regis iberici.

In tectis volitent candida serica;  
In celsis resonent cimbala turribus;  
Pulsentur sanctis organa in omnibus  
Templis, atque palatiis.

Magnam nempè diem lumine fulgido  
Signatam placidè in Sede Diespitris,  
Lætanter celebrent pectine Apollinis  
Vates maximi Iberiæ.

Matritum, nitidis dives honoribus,  
Exultet nimio pondere gaudii;  
Cantemus pariter, sicut et optimi,

Vates parvi et humillimi.

Omnes jam recinant dulcia carmina;  
Rhythmi ac harmoniae cantica cœlica,  
Et sacris fidibus voceque supplice

Cantent ista precamina:

« Vivat Terdecimus, Rex venerabilis,  
Centenis proavis regibus editus,  
ALPHONSUS! Validè Rex puer imperet

In nostris populis ovans.

Et sacræ fidei dogmata protegat;  
Et sit militiae gnarus et impiger,  
Prudens et sapiens, providus et pius,

Ut magnus Genitor fuit.

Sit clemens utinam Rex celeberrimus,  
Et plenus meritis, dulcis, amabilis,  
Annosque exsuperet quos benè vixerat

Argantonius inclytus.

Et sanctæ liceat vivere Fœminæ  
Quæ fert Hesperiae sceptra nitentia,  
Ut Nati valeat cernere sospitem

Illustremque propaginem.

Vivat Terdecimus tūm Leo Pontifex,  
Qui excelsum Puerum chrismate cœlico  
Ac lymphis voluit tergere et ungere

Ad nostræ patriæ bonum.





# AD EPISCOPUM MARTYREM

in primâ ejus mortis anniversariâ die.

## HYMNUS.

Alme Matriti Pater, atque custos,  
Sancte Compluti Vigil et patronē,  
Qui angelos inter renites, corusci  
Sideris instar:

Martyr insignis, venerande Præsul,  
Luce qui dives placidas Olympi  
Occupas sedes sinè fine latus,  
Atque beatus.

Totus effluxit lacrimosus annus,  
Carnifex postquam rabie feroci  
Heu! tuum valdè innocuum cruentem  
Trux violabit.

Interim sanctum tumulum frequenter  
Visitat fervens pia turba, et orat;  
Nam tuos credit cineres mereri  
Thuris honores.

Plebs fide exardens, lacrimas remittit,  
Et nigris nudat lapidem tropæis;  
Nam ferè instinctus populi supernum  
Te videt esse.

Liliis immò nitidis et albis

Jugiter sternit tumulum sacratum,  
Et tuos pronè veneratur artus,  
Utpote sanctos.

Omnis ad nostrum veniens viator  
Oppidum, sanctum petit et sepulchrum,  
Atque ibi magnum reperit juvamen  
Rebus in arctis.

Sic tubis centum, tua magna signa,  
Fama jam cœpit canere universim,  
Dùm tuā gaudent ope singulari  
Pauper et æger.

Et tuum nomen, placidum susurrum  
Auribus præbet, velut aura lenis,  
In lauris verò sapit invocantis  
Ut mel hyblæum.

Ipse narcissus speciosus, hortum  
Fertilem Christi exhilaras, et ornas;  
Angelis præstas decus, ac aroma  
Deliciosum.

Sospes in terris, pietate plenus,  
Purus, ac insons baculum gerebas;  
Lege pro Christi licuit crux  
Fundere in Æde.

Quid tibi dicam, celebrande Martyr?  
Oh, Deum supplex precor ut nitantem  
Mox te in altari pia turba cernat,  
Et veneretur.

Tunc piè vota excipies precantūm;  
Dulcis attendes precibus clientum,  
Et bonis largis cumulabis omnes  
Te deamantes.

Attamen quamvis mea demorentur  
Vota, te ex toto celebrabo corde;  
Et meo firmum solium tenebis  
Pectore in imo.

Dulcis Antistes, si egomet libenter

Te nimis carum reverebar olim;  
Quid tibi possim dare, cùm supernus  
Spiritus extas?  
Te refulgentem, super astra, Solem  
Nunc fides clarè mea confitetur;  
Tu potes magnas relevare pœnas,  
Sanctus es almus.  
Clam tuam dudùm colo sanctitatem,  
Et palam prorsùs tua signa dico;  
Luce nam solis tua gesta duco  
Candidiora.  
Pauper, et tristis, malè turbulentus,  
Ad tuum sacrum redeo sepulchrum;  
Hic meas sicca lacrimas amaras,  
Angele sancte.





# AD EUMDEM MARTYREM,

in secundâ anniversariâ die.

---

## HYMNUS.

---

Jam binus annus, tetricus,  
Effluxit inter lacrimas,  
Postquam ferus sicarius  
Enorme crimen perpetrans,  
In cor tuum tenerrimum,  
Plenum nimis dulcedine,  
Benigne, et alme Episcope,  
Ferale plumbum jecerat.

Crimen nefandum transiit,  
Siccæ fuerunt lacrimæ;  
Ferus, furensque carnifex  
Damnatur in silentio.

Unum quidem solummodò  
In mente fixum permanet:  
Amplus triumphus Martyris,  
Vel nobilis victoria.

Lauris onustus floridis,  
Palmisque tunc virentibus,  
Sacratae in Aedis porticu  
Es nactus altam lauream.

Nam vita, quæ superfuit,  
Ut parceres sicarium,

Adauxit ipsam gloriam,  
Decusque fecit maximum.

Ex tunc in altis sedibus  
Moraris inter Martyres,  
Astrum refulgens, splendidum,  
Titanis augens lumina.

Inter corusca sidera  
Saltem fides te suspicit;  
Tuamque jam potentiam  
Humanus aeger prospicit.

Tunum refulget floribus  
Altare, et albis liliis;  
Pro ingente et atro crimine  
Jam nemo mœstus ingemit.

Te, dulcis, alme Episcope,  
Mortalis omnis invocat;  
Et te salutat Martyrem,  
Stellamque cœli fulgidam.

Divina et alta Ecclesia  
Nunquam tui obliviscitur;  
Tuis sed est miraculis  
Attenta mater pervigil.

Jam multa sunt magnalia,  
Quæ cœlo ab alto præparas;  
Jam plura signa maxima,  
Quæ sanctitatis exhibes.

Jam sanctus, ac innoxius  
Terrâ marique nosceris;  
Et absque Divi oraculo  
Ubique Martyr diceris.

Tuus benignus spiritus  
Occurrit albis nubibus,  
Et supplicum precamina  
Amore magno suscepit.

Super sacrato marmore  
Orant fideles jugiter,

Semperque vultus nuntiant  
Precum recepta præmia.

Jam signa sanctitudinis  
Ubique præbes inclyta:  
Tuumque jam suffragium  
Cuncti fideles postulant.

Labente paucō tempore  
Post fulgidam victoriam,  
Ipsam clientes prædicant,  
Tubisque fama propalat.

Locis ab urbe dissitis,  
Plagisque ab ullis exteris,  
Tuas ad aras fervidi  
Orare multi provolant.

Omnes sepulchrum Martyris  
Amore ducti visitant,  
Tuumque nomen inclytum  
Ferventer omnes invocant.

Augusta in Æde maximâ  
Quam tu sacrasti sanguine,  
Plerumque fiunt lucida  
Miraculi præconia.

Ægri salutem postulant;  
Statimque voti compotes,  
Tuos favores obtinent,  
Tuamque cantant gloriam.

Narcisse, flos uberrime,  
Qui halas aroma cœlicum,  
Cunctis in orbis partibus  
Noscēris, ut flos unicus.

Non ullus extat flosculus  
Tam dives almi aromatis....  
Narcisse! quisnam desinet  
Te habere in horto pensili?

Infunde nostro in pectore  
Virtutis almæ semina;

Tuoque odore fertili  
Procura ut altè germinent.  
Et fac quotannis concinam,  
Amore ductus cœlico,  
Tui in perennem gloriam  
Sacrata semper carmina.





AD PRÆSTANTISSIMUM AC REVVM.

# Archiepiscopum Vallisoletanum,

propter provinciale Concilium feliciter inceptum,

## GRATULATIO.

### ODE.

Inclyte, et alme Pater, præcellentissime Præsul  
Castellæ Veteris fræna sacrata regens;  
Gloria Pontificum, populi tutamen iberi,  
Et templi, et solii firma columna nimis;  
Nobilis Antistes, sophiae thesaure perennis,  
Otia deterrens, vimque laboris amans;  
Oh Vir apostolice, oh, Divi qui exustus amore,  
Inflamas animas Cœlitis igne pio;  
Vir, cuius jugis portentum vita putatur,  
Mirisque exemplis unica in orbe nitet;  
Vir, qui magnifice aggrediens incepta vigore,  
Montes transvertis speque, fideque potens;  
Vir, qui in sermone ac opere indefessus, ovansque  
Diceris Hesperiæ Stella corusca prior:  
Vir, cuius gesta extendit jam fama per orbem,  
Atque tubis meritum prædicat ipsa Tuum;  
Parcito jam curis, jugemque remitte laborem,  
Sitque Tuo cordi pax et amoena quies,  
Nam lieuit Fratres jamjam Tibi cernere junctim,  
Ad Divi laudem, lætitiamque Tuam.

Quod totis animæ exoptabas viribus, ecce  
     Jam nunc Concilium beatus inis.  
 Jubila significans, faciem monstransque micantem,  
     Thaboris scenam commemorare facis.  
 Fratribus ornatus tantis, diadematis instar,  
     Ipse vices Patris dives amoris agis.  
 Oh, quam juvundum Fratres habitare coactos,  
     Cùm de divinis rebus agendo sedent!  
 Quam pulchrè affulgent septena (1) in culmine cœli  
     Candelabra, Dei disposita ante thronum!  
 Ora Patrum simili resplendent lumine in Æde,  
     Cùm tamquam soles luce micare solent.  
 In totis septem sedem Sapientia cepit;  
     Ipsi sunt Sophiae sacra sigilla Libri.  
 Sunt quoque septenæ excisæ de Rupe Columnæ,  
     Quas Sanctus templis Spiritus ipse sacrat.  
 Septenis donis ditat Paracletus eosdem,  
     Ut plebem possit pascere quisque suam.  
 Bini autem Patres, baculo, mitrâque carentes,  
     In Clero tamquam lilia bina nitent.  
 Candidus alter erit flos, lectus Episcopus almus,  
     Qui hortis Americæ fertile aroma dabit.  
 Cleri abulensis honor, lumenque, Vicarius alter.  
     Cætera, me excepto, portio sancta Tua,  
 Quæ Tibi in hoc Coetu præstat decus, atque coronam,  
     Eminet in primis ordine luminibus.  
 Dona tamen Tua, virtutesque Creator adauxit,  
     Ut sis exemplar, Pastor amande, Patrum.  
 Gloria priscorum Patrum Tibi suppetit ampla,  
     Nam Deus exaudit fervida vota Tua.  
 Quam pridem Synodus Provincia habere nequibat  
     Præ variis hominum litibus atque malis,  
 Primus in Hesperia celebras, scitissime Pastor....  
     Sanctæ sit Triadi cuncta per æva decus!

(1) Eran siete los Sres. Obispos asistentes al Concilio.

Dotibus eximiis Rector Te ornavit Olympi,  
    Ut clarum speculum Patribus esse queas.  
Alter es in Divi templis Chrysostomus almus,  
    Ex cuius labris aurea verba cadunt.  
Alter es in cathedrā doctus venerabilis Esdras,  
    Qui leges homines absque timore doces.  
Alter es Ambrosius, qui effundis ab ore diserto  
    Flumen inexhaustum mellis et ambrosiae.  
Te Deus in medio populo sine sorde locavit,  
    Atque Tibi sophiae munera summa dedit.  
Ex Divi influxu os aperis, dulcedine plenum,  
    Et zelo exardens plurima signa facis.  
Nemo tua in cunctis imitabitur inclyta gesta,  
    Nam solis geniis gratia tanta datur.  
Noscis ita apprimē linguamque modosque latinos,  
    Gyros, et rhythmos indolis ingenuae,  
Ut Te non vincat dicens Hieronimus almus,  
    Quamvis absque pari ducitur ille gigas.  
Oh, quam sublimis fuit alta oratio, magna,  
    Quæ, incepta Synodo, fulxit in ore Tuo!  
Nactus es historiam Synodorum prodere claram,  
    Tum mentes recreans, tum pia corda trahens.  
Oblectamento replesque, beasque fideles  
    Qui abscondunt tenero pectore verba Tua.  
Quæ quondam fuerit Synodis illustris origo,  
    Explanas populo dulcibus eloquii.  
Alta recordaris Christi promissa colenda,  
    Cum Patres Cœtum nomine in ejus agunt.  
Aurea quapropter patriæ renovabitur ætas,  
    Et mons et collis vallis adnistar erunt.  
Cessabit rapidus doctrine ventus iniquæ,  
    Atque bonum recto tramite queret homo.  
Erroris tenebræ evanescunt fulgure solis,  
    Ac longè abscedent impietatis aquæ.  
Pravi jam mores mites dulcedine flent;  
    Impius infames deseret ipse vias.

Rupibus in fractis accrescent lilia campi;  
Aspera erunt plana, ac omnia vincet amor.  
Porrò fide fortis firmè perstare valebunt;  
Ipsa fides claudis robora summa dabit.  
Sic exspectandum populo ex Antistite sancto,  
Qui facere in dubiis talia signa solet.  
De tanto incepto, oh Praesul, Tibi gratulor, alme;  
Patreque de tanto gratulor ipse mihi.





# Nec spes, nec metus.

VERSIO LATINA. (1)

## ODE.

—Tristis, et orbus eris...! — Quid refert? — Te fera turba  
Proteret infensè! — Quid refert? — Dedecoratum  
Nomen, et exuvias inglorius ipse relinques...!  
Nemo tui memor in terrâ lugubribus unquam  
Vestibus induitus planget tua funera justus!  
— Si justi causas egi molimine jugi;  
Si quandoque vias licuit mihi pandere honoris,  
Vel veri et justi infelix præconia prompsi,  
Quid refert ut ego jaceam sub perpetæ nocte?  
Omnia cùm pereant meus extet spiritus insons;  
Conscius ipse mei idolis cum pace renitar,  
Quæ turba inconstans, vana, et versatilis offert.  
Non decet humanos fieri facilesque, levesque,  
Partibus ut subdant utcumque potentibus actus.  
Vix unquam numerus concordat cum ratione.  
Sæpiùs, et nostro, præsertim in tempore pravo,  
Vulgum, et justitiam vidi disjuncta seorsùm.  
Sic ideo, ut genios, sector quos turbida plebes  
Obruit opprobriis. ¡Præfert, heu, turba Barabbam!  
Judicis infamis decretum cassò nefandum,

(1) Traducción de una oda del eminent poeta Mr. Victor Leprade, directamente hecha de la española que ha publicado el conocido poeta y literato Sr. D. Victor S. Capalleja.

Ut justæ historiæ plausus et posteritatis  
 Nanciscar, donec damnetar turba proterva.  
 ¡Hem! Pereat Socrates; capiat dementia Athenas!  
 Horrendum crimen maledicent sæcla futura,  
 Dùm quoque vindictam ratio sibi denique sumat,  
 Fanaque sacrentur proprio pro carcere justis.  
 Ut justi fiat constans in fine triumphus,  
 Pol verax testis, non complex, sufficit unus.  
 Sufficit unus homo purus, sincerus, et insonis,  
 Ut sæclum plectat perquam damnabile, et effrons.  
 — Tu tamen, et justi vincemini in orbe per ævum...!  
 — Quid verò refert? Nùm judex unicus extat  
 Terreus, atque levis, nostros qui censeat actus?  
 Ipse bonos nunquam victores computat æquè;  
 Injustus semper, vel diro errore subactus  
 Prælia perpendit, laurum dans denique victis,  
 Etsi aliàs magni claro in certamine fiant;  
 Et quos historia hand rarè condemnat, et arcet,  
 Hos super astra locat lauri diademate cinctos.  
 Lætantes, agedùm luctemur fortiter omnes:  
 Munia et officium unusquisque obeamus, amici;  
 Non propter laudes, vel sæcli dona caduca;  
 Neve animos pulset metus, aut spes corda facillet...  
 Qui perfectus erit, licet in luctamine sese  
 Vincendum speret, servens ad prælia tendit.  
 Et quin terribiles aquilonis abhorreat ictus,  
 Et contra ingentes pelagi imperterritus undas,  
 Pergit iter, studio certans, semperque laborans;  
 Sic, licet invito, populo servire scit heros,  
 Instinctum frenans, ejus nutusque domando.





## AD PROVISOREM IN NATALITIO.

— 2 —

Inclyte vir, sapiens, venerabilis, ample Sacerdos,  
Judicis, atque patris munera ritè gerens;  
Optime Provisor, titulum virtutibus augens,  
Qui exornas nomen dotibus ipse tuis:  
Viribus ingenii pollens, scitissime doctor,  
Quem pavit tenerè lacte Minerva suo.  
Triplice qui lauro redimitus tempora fulges,  
Hispani Cleri gloria, lumen, honor:  
Cœlitùs alta mihi si esset concessa potestas  
Æva tibi dandi, tanta beata darem,  
Ut longævorum, quibus alma Ecclesia gaudet,  
Et laudes posses, et superare dies.  
Tot tibi largirer sæcla, ut præstare valeres  
Eliam meritis atque diebus Enoch. (1)  
Si tamen haec nequeo tibi munera reddere tanta,  
At potiora Deum deprecor ipse tibi.  
Dùm magni Joseph celebrantur festa per orbem,  
Dùmque tua in mentem candida imago subit,  
Fervidus accedo sanctas prostratus ad aras,  
Atque tibi a Domino prospера cuncta peto.  
Interea, oh sapiens, perquām Provisor amande,  
Tu quoque provideas, quæso; memento mei.



(1) Qui nondùm mortui sunt.



## Ad Lectoralem.



Illustris doctor, dulcis, mitisque Sacerdos,  
Asturiæ Cleri gloria, luxque nitens;  
Selectæ Mentor, columen, fantorque juventæ  
Quam sanctis monitis, maxime Lector, alis;  
Dùm Lauretanæ orabas in Virginis Æde,  
Doctrinæ populo pabula sana dabas.  
Elogium faciens animarum luce parentū,  
Poscebas ipsis cœlica dona precum.  
Sic pius idcirco vivos pietate fovebas,  
Ipse juvans Animas luce per æva frui.  
Quid tibi retribuam tanto pro munere? *Thomæ*  
*Aurea* sit pretium magna *Catena* Tibi. (1)



---

(1) En pago de unos sermones de Ánimas predicados á mis feligreses, le regalé un magnífico ejemplar de la «Catena Aurea» de Santo Tomás.



# In Lutheranos idololatras<sup>(1)</sup>



Quare fremuerunt gentes, et populi  
meditati sunt inania?...

Qui habitat in cœlis irridebit eos...

(Psalm. 2.<sup>o</sup>)

Cur fremunt gentes? populique cæci

Quæ nova adversus Dominum patranda  
Crimina intendunt? Machinari inanè  
Quæ mala querunt?

Quidve germanus, misero furore  
Cultâ in Europâ modò concitatus,  
In Deum tentans meditari, in unam  
Provolut urbem?

Asseclæ erroris, Satanæ sequaces,  
Principes surgunt, tenebris subacti,  
Ac Dei obliti, coëunt, ut... Horret  
Lingua referre!

Impiæ gentes, Belial clientes,  
Veritatemque ex animo perosæ  
In quibus nullus pudor est, in aris  
Crimen adorant.

Invido, pravo, nimis exsecrando  
Æneam nuper statuam Luthero  
Hæresis sacrat, peragens nefandam  
Apotheosim.

---

(1) Se reunieron los protestantes alemanes con el vil objeto de coronar á Lutero, y adorarle en estatua de un modo tan nefando como supersticioso.

Hie draco dirus solium magistro,  
Tam sui digno dicat impudenter...!  
Principem talem bene promeretur

Hæresis atra. (1)

Sæculis eunctis figulata signa,  
Secta de saxo, manibusque facta,  
Pro diis semper tenuit verendis

Impia turba.

Necquidem mirum, Belial sequaces,  
Si aureum vere vitulum colentes,  
Huic Moloch vestris redimire eatis  
Tempora sertis.

«*Hem! Dei vincia ejiciamus, ejæ,*  
*Funditus Christi imperium terentes.*»  
Sic lutherani rabidi profari

Vana soletis.

At Deus verax habitans Olympum,  
Desuper temnens documenta vestra,  
Vos nimis pravos, reprobosque in irâ  
Perdere jurat.

Vestra non unquam miseratus ausa,  
Ipse delebit monimenta iniqua;  
Voceque adversâ minitans rebelles,  
Talia jactat:

«Rex ego æternus, moderator orbis,  
Perpetim Jūdex sinè fine vivo:  
A Deo sanctam datus in Sionem  
Impero solus.

«Nam Pater dixit: *Meus es per æva*  
*Filius solus: Te hodie, colendum*  
*Unicum Sanctum genui. Subacta*  
*Sint Tibi regna.*

*Postula, et gentes Tibi subjugabo;*  
*Terminos terræ dabo possidendos;*

---

(1) El protestantismo.

*Principes tamquam figuli aut arenæ  
Vassa refringes.*

*«Ante Te idolum ruet aut lababit;  
Ante Te fractus fremet ipse dæmon;  
Ante Te signa, et monumenta terræ  
Muta silebunt.»*

Nunc quidem terram malè judicantes,  
Principes, reges tremite et timete,  
Nam Deo tantùm licet, ut sacrata  
Signa dicetis.





## AD DILECTISSIMUM PUERUM.



Quid tibi dicam, puer, aut quasi heros,  
Lustra qui neçdum tria pertigisti,  
Et tribus jannunc sapiis eminenter  
Dicere linguis?

Oh puer felix, sapiens alumne,  
Lacte, qui dulci teneræ Minervæ  
Victitans, castæ placidæque Divæ  
Oscula libas:

Manè cui mulcent lepidæ Camœnæ  
Vitæ in aurorâ, et sine fraude nigrâ;  
Centies salve, quia plùs mereris,  
Candide Joseph!

Cùm tuam legi nitidam poësim,  
Cœlitem summum benedixi amanter,  
Quòd Deus tantum tibi donat œstrum,  
Parve poëta.

Et quidem multum mihi gratulari  
De tuo semper teneor amore,  
Dùm tuus toto ex animo per ævum  
Esse cupisco.





## AD EUMDEM, EPISTOLA.



*«Jam satis terris nivis atque diræ  
Grandinis misit Pater.»* Istud olim  
Concinit Romæ Lyricus potenter;

Nunc ego dicam:

Puberes sexūs utriusque tamdem  
Floribus frontes redimire possunt,  
Nam rosas ventus rapit, et diantos

Caryophillos.

Jam legunt flores lepidæ puellæ,  
Virgini aptantes varias coronas,  
Ut sibi præsto veniat cupita

Sors Hymenæi.

Et cadis plenis cerasos rubentes  
Fœminas multis pueris revisas,  
Publicis factâ serie in plateis,

Vendere cernes.

Et rubos sensim penetrare duras,  
Callidos spectes juvenes, et orbos  
Passeres nidis rapere insolenter

Absque dolore.

Majus aufugit; simul omne vivens  
Junium rubrum probat; exabundant  
Lilia, et totos cumulant canistros

Fraga, rosæque.

His ego donis, deamate Joseph,

Crede, contentus minimè putarer,  
Si minùs prompta et brevis hora adeset  
Te aspiciendi.

Hâc die Christi colimus beatum  
Corporis festum: celerata currunt  
Protinus toto celebranda in orbe  
Festa Joannis.

Hâc die fluxâ sine tarditate  
Ad tuum amplexum properabo, teque  
Leniter strictis premere, et fovere  
Ibo lacertis.

Ut domum possis hilarare totam,  
Et breves horas faciamus ambo,  
Musicem nobis quoque perplacentem  
Arte colemus.

Litteras demùn neque derelictas  
Deseres, longum quia habente tempus  
Junio, quoddam poteris sacrare  
Ad recolendum.





## HYMNUS LATINUS SIMUL ET HISPANUS.



## AD BMAM. V. MARIAM.

—  
Salve, Maria,  
fulgida Aurora,  
pulchra, divina,  
Diva gratiosa,  
limpida luna;  
tu sola ignoras  
tristes eclypses;  
tu ilustras sola  
orbes innumeros,  
immensas zonas,  
mundos ingentes,  
partes reconditas,  
illuminando  
miraculosa  
constellationes  
vastas, ignotas.  
Adamantina,  
sacra corona,  
nitida, splendida,  
rara, pretiosa;  
choros angelicos  
tu sola exornas.

Cœlica Diva  
pia Patrona,  
dulce charisma;  
tu, generosa,  
favores regios,  
mercedes optimas  
constante mente  
dispensas prodiga.  
Salve divina,  
alma Bellona,  
inlyta Armigera  
tam portentosa;  
furias satanicas  
tu sola domas.  
Insignes triumphos,  
magnas victorias,  
de gente haeretica  
sola reportas.  
Salve, oh benigna  
mystica Flora,  
palma fructifera,  
candida rosa,  
florida oliva,  
tu exhalas sola  
myrrhas electas,  
coeleste aroma.  
Liberalissima,  
casta Pomona,  
Diva suprema;  
tu nos confortas,  
tu refocillas  
gentes devotas  
æterna mente  
sancta Matrona.  
Oh sapientissima  
Pallas gloriosa;

inclytos vates  
tu sola informas;  
tu sola creas  
sublimes odas,  
placidos hymnos,  
dulces psalmodias.  
Tu sola inspiras  
aves canoras,  
zephiros blandos,  
notas harmonicas,  
suaves susurros,  
voices mellosas.  
Tu sola impulsas,  
Diva gloriosa,  
refrigerantes  
auras, sonoras.  
Oh sacrosanta  
Arca pretiosa,  
aurea, opulenta,  
propitiatoria;  
manna coeleste  
tu sola portas.  
Salva nos, pia,  
magna Patrona;  
de æterna ruina  
salva nos prompta.





†

# PLANGOR

SUPER TUMULUM

PRÆSTANTISSIMI DUCIS DE VILLAHERMOSA.

MERITISSIMI VIRI,

ACADEMICI,

humaniorū litterarū peritissimi.



¶ Quis dolor affligit scitorum corda virorum,  
Qui per Matriti, plorantes, compita cursant?  
¶ Cur velum nitidum nigrescit in Æde Minervæ?  
¶ Quò tendunt rapidae hue illuc celeresque quadrigæ  
Cum tot equis magnis phaleratis? Quid fit in urbe?  
¶ Heu! Vir, Aragoniæ regum veneranda propago,  
Duxque Comesque nitens, et Apollinis amplus alumnus,  
Insignis Vates, Musis dilectus amicus,  
Exiit e vivis meritis provectus et annis...!  
Virgilii interpres, spectabilis æmulus ejus,  
Munitus sacris quoque spiritualibus armis,  
Obrutus illustris Natae singultibus atris,  
Postque brevem dulcis transactum mortis agonem,  
Cortice depulso, configuit ad æthera liber!  
Exemplar Proceres amittunt nobile et altum!  
Perdidit heu! Socium sapiens Academia gnarum!  
Hispanum Solium fulcimen perdidit amplum,  
Patria tutamen, columenque, jubarque Senatus!

Perdidit imprimis præfortem altare columnam!  
Tempore qui in nostro cultoribus indiget aptis!  
Grammata tūm patriæ amittunt spectabile scutum;  
Cunctaque nobilia amiserunt orphana Patrem!  
Tristè suum Clerus dulcem complorat amicum,  
Qui Divi causas omni in discrimine agebat!  
Vir pius, et magnus parvos veneranter amabat;  
Pauperis et miseri relevabat sœpè dolores.  
Funere præ tanto ¿quisnam non plangere possit?  
¿Quis possit lacrimis in tanto parcere casu?  
¡Plangito, Nobilitas; Magnatūm plange priorem,  
Qui decus ipse tuum miris virtutibus auxit!  
Amissum lumen, moerens Academia, defle;  
Atque tuum vatem deplora virgilianum!  
¡Plange, Senatorum venerabilis, inclyte Cœtus,  
Plange jubar nitidum, quod cunctum pallet in ævum!  
Nos omnes etiam tristes ploremus amicum,  
Qui omnibus omne fuit dum vixit sospes et almus!  
Complorent inopes, quibus amplius ipse favebat,  
Juxta mensuram fletūs quem FILIA promit!  
Denique, ut istae obito lacrimæ sint utilitati,  
Jungere cum precibus libeat lamenta profusa.





## EPITAPHIA PRO EJUSDEM TUMULO.

†

I

Hic Viri, Aragoniae proavis qui est Regibus altis  
Editus, exuviae perpeti honore jacent.  
Non imitatus eos sospes fulgentibus armis,  
Attamen auratum prodidit ipse stilum.  
Artibus ingenuis summa cum laude vacavit,  
Grammata collustrans, atque idioma colens.  
Mox ipsum sapiens Academia leta recepit;  
Arteque tunc atavos vicit et ingenio.  
Denique, si Grandis patriis est juribus ortus,  
Doctrinâ, et meritis grandior ipse obiit.

II

Nobilis exuviae Lunae Comitisque Ducisque,  
Formosæ—Villæ Ducis, augustique Patroni,  
Isto sub rigido marcescunt marmore muto!  
Jugiter excoluit miris cum plausibus artes,  
Pascua Virgilii recinens et florida rura...  
Denique cùm gestis atavorum nomen adauxit,  
Et dulcem tetigit, maturam pœnè, senectam,  
Osculo in excelsi Domini exspiravit amanter.

III

Hoc MARCELLINI monumentum continet ossa,  
Qui prisco Regum sanguine natus erat!  
Maximus in primis nostrâ in tellure refulxit,  
Artibus ingenuis, artis amore, studens.  
Dedicat hunc tumulum venerando NATA parenti,  
Pro quo non cessat grata rogare Deum.

IV

Hic lapis exangues proceris venerabilis artus  
Contegit, in toto qui agnitus orbe fuit.  
Maximus ac humilis, ferè regius, atque modestus,  
Omne tulit punctum, cœlica dona merens.

V

Hic lapis obnubit Proceris regalis et ampli  
Artus exanimes! Siste parumper, homo!  
Et postquam pompam meditaberis esse caducam,  
Pro Duce de Luna corde precare Deum.

VI

Ter Comes, et bis Dux, sapiens Academicus ossa  
Hic tenet; ad cœlos spiritus ejus iit.





# AD MARCHIONEM DE SANCTO STEPHANO, HUMANIORUM LITTERARUM PERITISSIMUM.



De vitâ agresti.

## EPISTOLA.

Quàm placida, oh Procer, apparet mihi rustica vita,  
Quæ procul a curis labitur amplo in agro,  
Acepto ex atavis, sudore vel arte rigato,  
Cui natura suas prodiga reddit opes.  
Quàm jucunda mihi, quam degis, vita beata,  
Stipatus semper fructibus atque rosis.  
Quando Vir ingenuus strepitum vitare resolvis,  
Atque sophos imitans, eligis ipse viam,  
Quà sanè pauci iverunt ab origine mundi,  
Et purum servas pectus ab invidiâ,  
Ac elatorum dominorum non imitator,  
Aurea contemnis tecta superba nimis,  
Atque manu propriâ plantas vel dirigis hortum,  
Cui Pomona tibi mitia poma feret,  
Nobile tunc Procerum speculum mihi nempe videris,  
Teque ferè ut numen fervidus ipse colo.  
Oh, quantùm me pruna juvant, ac aurea mala,  
Arbore si ex plenâ tu legis ipse manu!  
Et quantùm mihi fraxa placent, et lilia tersa,  
Quæ pulchras neptes carpere sœpè jubes!

Oh mons, oh fons, oh flumen dulcedine plenum,  
 Lenis secesus, pax et amata quies!  
 Quot vires homini, et solamina maxima præstas,  
 Cùm mundi strepitum, mollitiemque fugit!  
 Aura refrigescens viridis sub tegmine taxi;  
 Suavis odor tiliae, fraxini et umbra placens;  
 Vos sensus hominum defessos redditis acres,  
 Et membris ægris robora vimque datis.  
 Tu, Procer, es rectè problema resolvere nactus;  
 Ut longam vitam porrò beatus agas.  
 Tu campum quæris, sed non ex parte laboris;  
 Et campi gazas, deliciasque petis.  
 Postquam Matrii quondam tua stella refulxit,  
 Atque tibi licuit fræna tenere benè:  
 Cùm tibi Primatū licuit contingere metam,  
 Et celso poteras ipse nitere situ;  
 Cantatam vitam venusino a Vate petisti,  
 Quam Vates noster (1) concinit ipse quoque.  
 Agrestem vitam mixtam dulcedine et arte,  
 Ac omni plenam commoditate bonâ;  
 Campum magnificentum magno molimine cultum,  
 Floribus ac auri pondere penè satum,  
 Ut longam vitam facias, nimiūque beatam,  
 Rectè elegisti, et perpeti laude tenes.  
 Salve, clare Procer, vitae sapiensque Magister,  
 Qui ad cœlos oculos sospes ab orbe levas:  
 Cum fidis famulis, qui tē venerantur amicium,  
 Et sociis utens dulcibus atque piis;  
 Interdūm natis comitatus tam deamatis,  
 Atque tuæ agnatae munera semper habens,  
 Arva tua et campos in cœli limina vertis,  
 Nam cœli, ante oculos, dona parata vides.  
 Gaudia tu solus petis æternalia, quamvis  
 Jubila terrenis rebus in hisce tenes,

(1) Fr. Luis de León.

Vivere, et innocuè vitam transire per istam,  
Hic tuus imprimis, est labor atque scopus.  
Vivere, et immensis naturæ dotibus uti;  
Devitare malum, sœpè patrare bonum,  
Nancisci longam, puram, sanctamque senectam,  
Hoc tibi dumtaxat Divus in orbe dedit.  
Tùm quia fugisti cum delectamine mundum;  
Tùm quia virtuti tempùs in omne vacas,  
Quod magis in magna Civis desiderat Urbe,  
Tempus et argentum, præstat utrumque tibi.  
Temporis, ac auri, quod fit simul et semel unum,  
Arca tibi in promptum maxima plena manet.  
Quando studere velis, (occasio semper abundat)  
Scribere, vel legere, ad omnia tempus habes.  
Sic disciplinas tantas es prorsùs adeptus;  
Sic tantam sophiam nactus, et ipse tenes.  
Cùm tua præ cunctis largitio sit facienda,  
Omnes exsuperat; semper ut amplius agis.  
Quamvis ipsé velis, minimè obscuraberis unquam;  
Nam sicut campi lilia pulchra nitent;  
Et prout in ramis pendentia poma rubescunt,  
Vel sicut stellis sol micat in mediis,  
Sic, Procer insignis, fagi sub tegmine sessus,  
Seu, licet instratis floribus esse velis,  
Seu, licet occultus vivas laquearibus altis  
Secessu in placido suaveolentis agri,  
Perquam magnus eris, semper, semperque refulgens,  
Marchio præcellens, Asturiaeque decus.  
Te licet abscondat platanorum fertilis umbra,  
Florida vel spinus prorsùs opaca tegat;  
Et quamvis hominum fugias commercia vana,  
Vel pompam sœcli fortè cavere velis:  
Quamvis cum fidis familis versere modestè  
Sub quovis semper nomine grandis eris.  
Inlyte, perge tuam campestrem, Marchio, vitam;  
Et normam magnis, principibusque dato.

Ipse tuos famulos solertes edoce arare,  
Plantare, et serere, aut semina seligere:  
Naturae faveas ingenti fertilitati,  
Ipsaque thesauros reddet abunde tibi.  
Siquando fessus fueris plantando, revelle,  
Ut plantes iterum jutus ab arte simul.  
Et cum perspicias oculos sine nubibus esse,  
Artibus ingenuis terque, quaterque vaca.  
Gaudia cum famulis et amicis sustine honesta,  
Noctibus ac hiemis ludere perge fabis;  
Nam sic innocuum postquam transiveris aevum,  
In cœlo poteris perpetue luce frui.





# Ad Episcopum Martyrem,

in tertiat martyrii anniversariâ die.



## INVOCATIO.

Angele Matriti, Compluti-duxque, vigilque,  
Hesperiae scutum, conspicuumque jubar;  
Porro tuum signis dum claret corpus humatum,  
Thuraque dum redolent ossa sacrata tua,  
Spiritus immunis cœli de culmine promptus  
Adveniens, homines protegis, atque juvas.  
Fama tui complet totum jam nominis orbem,  
Et tua mortales signa stupenda cident.  
Aurea saepè tuum stipant jam dona sepulchrum,  
Quod nimis instratum floribus esse solet;  
Nam pius exaudis ferventia vota clientum,  
Ac aures faciles flentibus ipse paras.  
Jam devota tuum gens nomen amabile clamat,  
Si forte immitti pressa dolore gemit.  
Jam tua decantat miracula fama per orbem,  
Teque pie Sanctum turba fidelis adit.  
Et tu respondes et ritè precantibus adstas,  
Continuò excipiens vota precesque pias.  
Publica vox etiam Sanctum te dicit ubique,  
Atque tuam supplex poscit et orat opem.  
Te vocat in pelagi contritus nauta periclis;  
Te vocat afflictus tristis arator humi.

Te quoque in ærumnis constrictus clamitat æger;  
Te reus in yinclis invocat ore pio.  
Ac omnes audis, atque in discrimine servas,  
Nam tecum Dominus magnus et omnipotens.  
Porro tuum flammis exustum pectus amoris  
Expetit ægrotos, ut medicetur eis.  
Orphanus et pauper vidua, et pupillus egenus  
In te præsidium dulciter inveniunt.  
Ante tuos artus reperit spiramina vates,  
Ac fessi sensus dulce levamen habent.  
Tertius elapsus fuit infeliciter annus,  
Postquam sacratus fluxit in aede crux...!!  
Oh! quantum fructum sanguis venerabilis affert!  
Quam fœcunda tuo terra crux madet!  
Pullulat alma fides, virtus accrescit ubique,  
Atque bonas fruges semina sancta ferunt.  
Ardentes lacrymæ conversæ in gaudia tandem,  
Jamque in lætitiam vertitur ipse dolor.  
In cunctis resonat labiis oratio fervens;  
Hunc hymnum recinit fida caterva tibi.



Deus, piorum Martyrum  
Corona fulgentissima,  
Pastoris ample Mantuae,  
Narcissi adauge gloriam.  
Hic Martyr, ac Antistitum  
Exemplar, et lux fulgida,  
Suo profuso sanguine  
Sacrum rigavit atrium.  
Ramus olivæ floridis,  
Palmæque stratis affatim  
In Æde festo in maximo,  
Aroma blandè halantibus,

Est immolata Victima!  
Parcens fero sicario,  
Sequens Magistri semitam,  
Ascendit alta ad æthera.

Per hunc precamur supplices,  
Benigne Jesu, ut Martyris  
Indulgeas clientibus,  
Qui ejus canunt victoriam.

Dœm. a Palmar. 1889.





Disertissimā ac potentissimā

**ORATIO**

AB ALEXANDRO PIDAL ET MON,

in primo Catholico Conventu hispaniensi, pronuntiata.



VERSIO LATINA.

I.

Nunc, et non unquam, Cœtus clarissime, vellem  
Præstantem sophiam, quâ mea verba carent:  
Dicta meis hodiè cuperem cœlestia labris,  
Cùm mihi, præsertim qui ultimus inter oves  
Dumtaxat teneor reverâ connumerari,  
Sermonem de altis rebus habere licet  
Conspectu in vestro, Pastores, atque Magistri,  
Quos Christus jussit pascere amores greges.  
Ah! mihi nunc utinam cœli sapientia adisset,  
Finis ut hoc magnum digna coronet opus.  
Thema, quod evolvam, quamvis non ordine primum,  
Magni est momenti, ac utilitate prius.  
Themate in hoc vere tractatur de Omnipotente,  
De cuius senso, rivuli adinstar aquæ,  
Quæ fluit ex nivibus liquefactis vertice in alto,  
Omnia proveniunt, eruta multimodis,

Vera, vel inversa, aut varii systemata sensū,  
Quæ terras, tamquam pura fluenta, rigant,  
Cunctaque fecundant, faciuntque uberrima prata,  
Turbida vel tamquam flumina terrifica  
Funditūs evertunt, vel vastant arva vel urbes.  
Quin sit ita, oh Domini, vix dubitare licet.  
Sicut cognitio Divi exsistentiæ, et ejus  
Notio clara nimis lumine cuncta replet,  
Vim disciplinis præstans, dignamque coronam,  
Artisque amplificans organa tota benè,  
Sic Divi tortus conceptus, cuncta retorquens,  
Atros errores seminat omnimodis.  
Falsa Dei idea in nostro quoque tempore tracta  
Per vanos homines, qui rationis egent,  
Se licet afirment rationis dogmata habere,  
Perturbat mentes, et mala magna parit,  
Quæ Leo Papa gemit, Christique Vicarius indè  
In vinclis suffert, Servus in æde suâ.  
Mox, sicut spero juxta argumenta adhibenda,  
Quamvis non vobis esse necesse puto,  
Fusiùs ipse theses exponam, ritè probando  
Quotquot nunc athei tristè negare solent,  
Quotquot *pseudosophi*, falsæque scientiæ honore  
Dicunt, vel rapti sæpè furore negant,  
Ad NIHILUM tantùm, quod summa NEGATIO substas,  
Esse reducenda. At tanta negata male,  
Quæ ex vi jam logicæ, vel inexorabilis, instant,  
Sunt in materiæ tota coacta sinu.  
Sic lucis Divo tenebrarum opponitur ater  
Angelus, ut talem cæcus adoret homo.  
Surgentes athei Satanam constanter adorant,  
Utpote victorem Cœlitis; orbis Heri;  
Quatenus et retinent vincutum terrestri in abysso  
Papam, qui Christi supplet in orbe vices.  
Est mihi propterea audendum, formidine pulsâ,  
Vobis de hoc celso dicere vera loco.

Namque facultatem munus mihi nobile præbet,  
In quantum nitar quærere principia,  
Et fixas causas investigare serenūm,  
Dummodò dignetur reddere Divus opem.  
At vos, oh Domini, causam si inquirere vultis  
Fundamen dantem, quæ mala tanta parit,  
Et nunc Pontificem Romanum mulcat et angit,  
Ne quæratis eam (prorsùs inane foret!)  
Inter eas causas, dictas utcumque secundas;  
Sed primâ in causâ, quæ imperat et reliquas;  
Quæ ordinat, atque regit, causas vel subjugat omnes,  
Quæ tristem Papæ constituere statum.  
Ædibus in propriis, prout atro in carcere, Papam  
Detinet impietas, non secus atque Deus  
Abditur in templo, vitæ seclusus ab omni  
Ordine multiplici. Perfida turba ferox  
Claudere dûm Divum delubro in paupere tentat,  
Subque gravi Christum marmore dira tenet,  
Christi non aliter munusque vicesque gerentem  
Petri intra muros impia turma premit.  
Sic ego Catholici Coetus centralis iberi  
Conventus artem miror, et ingenium.  
Hic positis thesibus, peracutè prætulit istam,  
Quâ demonstrantur lucidiore modo  
Fallax idea, aut error, quæ de Omnipotente  
Perfidæ habent hodiè, turpè docentque scholæ,  
Dogmata cùm Christi renunt fideique supernæ.  
Nam, prout excellens Auctor iberus (1) ait,  
Si omni in doctrinâ punctum supereminet altum,  
Magnus ubi genius sidere sæpè solet,  
Hanc qui nempè thesim sapienter præstituerunt,  
In quâ strictè agitur de altipotente Deo,  
Vertice in elato residentes, more aquilarum,  
Culminis in summo disposuere situm.

---

(1) Balmes.

Cunctis si in rebus vitalis nodus habetur,  
 Hic verè nodus thematis arctus inest.  
 Hic quoque phænomeni ferè inextricabilis extant  
 Natura et ratio. Hinc ejus origo mali,  
 Cujus ob influxum gentes, quæ dogmata Christi  
 Puriūs observant, sunt magis atque magis  
 Vexati, quoniam Papam, diademate nudum,  
 Oppresum vinclis atque dolore vident.  
 Tùm quia subjectum, vel libertate carentem,  
 Patrem deplorant, quem dedit ipse Deus.  
 Tùm quia privatum dominatu rege ab iniquo,  
 Sanctum Christiades absque decore tenent.  
 Triste malum! mundo nunquam medicabile certè,  
 Morbus si in stricto creditur esse loco!  
 Attamen e contra morbus sanabilis esset,  
 Si tractaretur sicut acerba lues;  
 Vel tamquam virns socialia viscera rodens,  
 Vel quasi totalis symptoma *diatesis*,  
 Quæ cunctos homines sævè cæcare videtur.  
 —Nobis jam liceat, Cœtus amande nimis,  
 Et vivi, et veri problema resolvere Divi,  
 Ac ejus certam pandere notitiam.  
 Prostrati, ac humiles Divo obsecremus ab alto,  
 Ut pacem nobis, confugiumque paret,  
 In tamtumque malum nobis medicamina donet;  
 Namque «*Ego sum vivens*» asserit Omnipotens;  
 «*Te exaltare ab humo possum super astra superna,*  
*Vertereque ærumnas gaudia in alta tuas.*»  
 Qui olim confregit Pharaonis sceptra superba,  
 Regesque hæreticos unixerat ipse oleo,  
 Qui binos populos Christo peperere valentes,  
 Æternam sophiam possidet hercle sibi;  
 Inter multiplices summæ Sapientiæ abyssos,  
 Ac in thesauris, quos miserator habet,  
 Suppetit et virtus, et summa potentia Divo,  
 Ut citius vertat perfida consilia,

Sensa inimicorum, prout instrumenta, retorquens,  
Ut commutatis actibus ad libitum,  
Omnia convergant, ut Divi æterna voluntas  
Fiat, et Historiæ dirigat ipse vias.

II

Vos rectè nostis, venerande vel inclyte Cœtus,  
Quod si idea Dei prominet ipsa prior,  
Ut fundamentum, vel radix ordine in omni;  
Tempore si in nostro taliter arcta manet,  
Ut non sors ejus solùm cum sorte ligetur  
Doctrinæ cœli, sed (quid erit gravius?)  
Cum tristi est nostræ rationis sorte ligata,  
Cujus virtutem, vimque negant athei, (1)  
Quandò Deum frustra intendunt ratione negare;  
Attamen oh Patres, noscitis, hand dubiè,  
Ideam Divi solis non luce nitere,  
Nec *per se notam* mentibus esse statim:  
Simplice nec pandi menti molimine posse,  
Ut tamquam propriam spiritus aptet eam,  
Vel tamquam verum toto fundamine constans,  
Quod *per se anterius* noscere possit homo.  
Provida Christiadum quoquè disciplina severa,  
Conscia vis propriæ, et lumine freta suo,  
Concutit extremos errores viribus aequis,  
Ac omnes simili disjicit ipsa modo.  
*Traditionales*, (2) qui ajunt tantummodo Divi  
Ideam nobis cœlitùs esse datam,  
Nempè revelatam, serio molimine damnat.  
Sic *ontologicas* pellit acuta scholas,  
Quæ intuitum verè immediatum, perpetuumque,  
Quo Divum possit noscere quisque, docent.  
Doctrinâ sanctâ quoque confutantur eadēm  
Illorum sensum, judiciumque leve,

(1) Los racionalistas.

Qui hoc tamquam verum reputant axioma colendum  
Sicut et illorum, qui ratione malè  
Utentes, ipsi cuncta elementa recusant,  
Seu ipsam vacuam robore, vique putant,  
Hancque proindè locant rationis practicæ in arcto,  
Aut certè in veris, quæ sine nube vident  
Sensus, et instinctus. Forsam plerisque resistit,  
Qui ipsum conceptum denique comminuunt;  
Tùm quia vel minimè res demonstrabilis extat,  
Quatenus est grandis, resque superna nimis;  
Tùm quia, quod cuncti semper duxere necesse,  
Quis, dicunt, unquam ritè negare valet?  
Catholica imprimis sapiensque scientia Divi,  
Quæ latus extremum semper utrumque fugit,  
Ingenuum sequitur directo tramite verum,  
Ac omnes homines cœlica vera docet,  
Sanè affirmavit, quod scripsit Apostolus olim,  
Quando hic romanis pabula sana dabat:  
«*Porrò invisibles dotes, Divique suprema  
» Munera dumtaxat cognita sunt homini  
» Propter notitiam, quam cuncta creata ministrant.*»  
Sic Sanctus Thomas, Angelus ipse Scholæ,  
Qui unicus humanæ rationis jura tuetar,  
Cùm vires ejus fixit et apposuit,  
Ut monstraretur ritè existentia Divi,  
Confirmabat adhuc, has minuendo simul.  
Nempè per effectus divina essentia tantum  
Noscitur, haud aliàs; nam Deus Altipotens  
Fulgura dispergit rutilantia, solis adinstar,  
Quæ humanis oculis nubila nigra ferunt.  
— Hic autem breviter sistamus maxime Cœtus;  
Et faciem liceat cernere magnificam,  
Quam ferè catholicae nobis offerre videntur  
Nunc disciplinæ, perbenè et absque morâ  
De Divi idéa veræ existentiæ agentes  
Inter tot rixas, murmura, vel strepitum,

Quæ plures, variæque scholæ clamoribus edunt,  
Prætextu sophiæ, sub specieque boni,  
Multæ expromentes contradictoria sensa.  
Disciplina tamen nostra, serena nimis,  
Tamquam nauclerus, qui solers lumina figit  
In clarum portûs, quem petit ipse, Pharum,  
Evitat scopulos, ut navis tuta per undas  
Tendat, et interea quærere propitium  
Nititur accessum portûs, ventumque secundum:  
Et quando longè cernitur ire magis;  
Si vel ab objecto sese elongare videtur,  
Exactis Entis legibus, atqué modos  
Noscedi pariter perquirit rebus in imis,  
Nempè creaturis, tunc... fit ut e subito  
Fluctibus in mediis, inter crepitantia freta,  
Turbatam proram dirigat absque metu;  
Atque supersedens ingente voragine in atrâ,  
Elusis mirè syrtibus et brevibus,  
Introit in portum, magnum celebrando triumphum  
Sic doctrina sacrum limen adire solet.  
Impia res verè, vel sceptica noxa videtur  
Ex primo intuitu, cùm negat ausus homo  
Effatum constans Divi existentiam esse.  
Res stolida aparet, fortè superba nimis,  
Cùm quisquam vires rationis figit et aptat,  
Ut demonstret eam. Protinus hercè patet,  
Quòd, ferè collatis rationi ambagibus istis  
Post Ens supremum, notiō catholica  
Augusto sacro obsequium tunc consecrat amplum,  
Ac Summo Vero præstat honoré deus.  
Quàm speciosa offert nostrum spectacula dogma!  
Mentibus ac animis altiùs ipsa placent,  
Quàm quæ de nostræ possint fundamine dici  
Doctrinæ, ac ejus vique bonaque fide.  
Haec doctrina, suo tamquam confisa triumpho,  
Temnere constanter arma dolosa sapit.

Semper prò nudà ratione, armisque probatis,  
Certant cordicitùs vincere catholici.  
—Floruit undecimo sæculo celeberrimus Abbas, (1)  
Postea qui dignus Præsul honore fuit.  
Nobilis et sanctus fuit Archiepiscopus ille,  
Cui nunc altaris thura, decusque datur.  
Quadam fortè die argumentum, penè supernum,  
Protulit, irradians fulgura in omne latus.  
Ipse sinu in medio mentis reperiire pependit  
Ideam Divi, lumine non vacuam,  
Talibus insculptam signis, nitidisque figuris,  
Ut quisquam summum nosceret Esse Dei.  
«Ex hâc humanæ rationis cognitione  
Quisque potest, inquit, surgere ad usque Deum.»  
Sæcula post aliquot quidam fortasse novator,  
Audax et vanus, se simulansque sophum,  
Tale argumentum mendax ab origine finxit,  
Quod ferè sub veteri pulvere substiterat  
Claustrî in Codicibus: mox nixus themate in ipso,  
Esse immortalem firmiter asseruit.  
Fortibus his armis vincuntur cuncti inimici,  
Qui, blaterando, audent turpè negare Deum.  
Jamque suam victi stragem quandoquè fatentur...  
Hâc super ideâ pugna-minatur atrox!  
Non procul a nostris atheismus fortè diebus  
Prorsùs ovans poterit pangere festa sua  
Sacra super Nostræ supremæ Altaria Divæ!  
Tunc vero en poterit vox resonare vibrans,  
Christiadumque sinu ex almo consurget in altum,  
Quæ queat et victis hostibus ista loqui:  
Jam nunc accipite hoc vestrum non nobile telum;  
A nobis absint protinus arma mala.  
Nolumus his armis hostes devincere pravis:  
Non errore malo vera juvare decet.

(1) San' Anselmo Cantuariense.

Tale argumentum, quod vos confundit, et urget,  
Non nisi perfluxum porrò sophisma manet.  
*Ille Vir excellens, Sanctusque erravit in isto.*  
Nam licet ipse Deus, summus et omnipotens,  
Providus, aeternus, vel perfectissimus extet;  
Hunc licet immensum totus adoret homo;  
Quamvis alma Dei existentia certa notescat,  
Ex hoc non sequitur<sup>r</sup>, nam ratione caret,  
*In re quod certè Divi existentia detur;*  
Ideæ verò in ordine ritè datur.  
Nescio, proh Patres, quid causa hæc cœlica perdat,  
Si hoc argumentum haud futile deserimus.  
Si verò illorum ratio, qui exempla videntes,  
Et nunc et pridem tam repetita benè,  
Deflecti renuit virtutes ante supernas,  
Quas docet et Thomas, ejus et alma Schola;  
Si nostrâ in dextrâ cernens hæc arma refracta,  
Quæ nostro objecto robora tanta dabant,  
Prostratur minimè, cquidnam convincet eamdem?  
Huic simile exemplum solus obiret Eques,  
Tempore qui in prisco, duro in certamine ferrum,  
Verè incantatum, longius abjiceret,  
Ut proprio gladio immaculato vinceret hostem.  
Non argumentis, quæ veneranda Schola  
Nempe *priora* vocat, Divi existentia fulget.  
Talia vir sapiens (1) impia jure putat,  
Quatenus his simili posset ratione negari  
Quidquid in hoc casu quisque probare velit.  
Demonstrare Denm siquis, ponendo *priora*  
Argumenta, audet, non agit ipse bonum.  
Namque Deo, qui etiam causarum Causa notatur,  
Tunc aliam causam reddere posset homo.  
Divus ab aeterno iah! qui extat, perstatque perennè,  
Valdè Ens perfectum, cuius in esse patet

---

(1) Vico.

Nempè suæ ratio existentiæ; et unica causa  
Efficiens mundi, verè aliasque ab eo;  
Actus vel purus, motorque immobilis ingens,  
Postremus finis, certaque causa prior,  
Næ, demonstratur rationis viribus amplè,  
Quidquid in oppositum dicere turpè velint  
Traditionales (1), qui hoc nomine sæpè notescunt,  
Qui rationi etiam robora, vimque ferè  
Ad demonstrandum, dementes, res quoquè sanctas,  
Sivè revelatas turpè proindè negant:  
Quidquid et edicant imprimis *ontologistæ*,  
Qui, dùm proclaimant funditùs intuitum,  
Atque Dei visum, tamquam spectabile mentis  
Objectum, primum perpetuumqne scopum,  
ENS in re, everso, confundunt, ordine toto,  
ENTE cum abstracto, sic vitiando thesim.  
Ac *ontologicam* normam mixcendo supinè;  
Et quidquid blateret Kantius ipse, rei  
Qui ut neget istius permagnæ cognitionem,  
Tùm rationi aliàs roboris esse satis  
Pernegat, ut minimè *noumenon* fortè notescat,  
Certâ ex *phænomeni* cognitione datâ;  
Quidquid et affirmet sapiens, audaxque Jacobus (2)  
Qui si instinctivæ cognitionis erat  
Acer defensor, rationem dente maligno  
Humanam rōsit, totius herclè basim,  
Atque rei certæ objectum, virique juvamen;  
Quidquid Lamménus proferat ore sacro,  
Qui ut sistema suum Divo solerter adaptet,  
Ut demonstretur, omnia miscet inops;  
Quo *logica* appetet *cum re connexio* versa,  
Vel confusa nimis sicut et ordo rei  
Eversus manet existentiæ, et hypotyposis.

(1) Tradicionalistas.

(2) Jacobi.

Quidquid et expromat denique quæque schola,  
Sive *idealis* (1) seu sceptica, fortè vocetur,  
  Seu *positiva* (2) ferè, aut quæque magistra nefas,  
Quæ ex rationali radicitùs hypotyposi  
  *Esse* (3) rei minimè ritè probare queunt,  
Quominus omnino evertant, mutilentque, negentque  
  Innatas vires, queis ratio ipsa viget.  
Ipsi autem!, qui adeò pomposo nomine gaudent,  
  Ut sese fatuè sidera ad alta levent,  
Ac sibi scitorum rationis jura tuentūm  
  Stultius attribuant munia vel titulos,  
Quò ratio nunquam volitare per aëra possit,  
  Hanc alis spoliant, atque proinde tenent  
Pulvere sub fredo miserè, quasi reptile turpe,  
  Qui in terris repit, in tenebrisque jacet!  
Si non sufficiunt verò argumenta *priori*,  
  Ut demonstretur clariùs esse Deum;  
Quatenus hæc tantùm ferè demonstratio spectat  
  Ad res, queis superest cognita causa prior.  
(Quælibet ingenii, portentaque dexteritatis  
  Præbeat Anselmus, stella corusca nimis;  
Quælibet adducant celeber Cartesius, atque  
  Bini consortes (4) qui comitantur eum.)  
Attamen haud dubium quin demonstretur abundè  
  Multo arguento *a posteriori* habito.  
Magna exemplorum series est cognita vobis,  
  Quæ solis nitido lumine cuncta micant.  
Quædam nituntur, tamquam fundamine in alto,  
  Ordine in immenso, et perpetæ in harmoniâ,  
Quæ orbibus in miris resplendent. Plurima tamdèm  
  Communi in sensu vimque, basimque tenent.  
Utraque quinque modis ornantur ab Angelo Aquini:  
  Scilicet exponens, præpes ut alta aquila,  
Qualiter ex motu impulso à motore priori

(1) Idealista. (2) Positivista. (3) Esencia. (4) Leibnitz y Mendelsohn.

Divus monstretur lege metaphysicā.  
Tùm quia *causarum efficientium* ex ordine dicit  
Primorem causam his esse necesse dari.  
Tùm quia de variis gradibus, quos entia cuncta,  
Veræ virtutis vel bonitatis, habent,  
Haec patet ipsa sibi *Ens* petere exemplare supremum.  
*Ex contingentí* semper in orbe *statu*  
Cunctarum rerum, qui aeternum *Ens* exigit alnum,  
Perbenè thema patet. Denique multiplices,  
Extra se, *causæ finales* summa reposcunt  
Sanè intellectum, vim, sophiamque sibi.

### III

Firmis ac lentis, solidis processibus istis,  
Per logicæ scalas, et ratiocinii,  
Ordine in hoc rerum, quas mens humana prehendit,  
Disciplina quit scandere catholica  
Divi ad notitiam, vel ad ENTIS cognitionem;  
Quo benè comperto, quatenus extiterit,  
Claruit hoc pacto supremi *Essentia* Divi;  
Et sic decreto, sanctio jam nituit,  
Ac in multiplici fundamen fuit ordine vitæ.  
Sic in christiadum tempore propitio  
Sancta idea Dei, doctrinis fulta supernis,  
Et tamquam verum Relligione satum,  
Europæ lumen fuit ut thesaurus abundans,  
Cœlitūs humanis terque quaterque datus,  
Quique facultates totas exauxit eorum.  
Verè idea Dei, condere cuncta potis,  
*Numinis* aeterni, *viventis* in omnia sæcla,  
Et *Personalis*, *providi* et *omnipatris*,  
Qui informans vitam socialem perpetue zelo,  
Paceque eam complens, multiplicique bono,  
A primis pueri vagitibus incipiendo,  
Quando vix aperit lumina et ora simul,

Excipit et tenero ex labro inspiramina matris,  
Dulceque jam dicunt nomen amantque Dei,  
Usque ad magnates, Reges, populosque superbos,  
Qui, non immerito, jure carere suo  
Credebant omnes, si a norma et origine Divi  
Non assumebant fræna vel imperia,  
Divus, quem pridem doctrina scholastica monstrat,  
Multo argumento *a posteriori* dato,  
(Quippè metaphysicum, certèque notabile verum)  
IPSE est, ut promunt Biblia sacra, Deus,  
Qui in *Testamento Antiquo* magnalia patrans,  
Lumine præcinctus, cunctipotensque micat:  
IPSE *Novo* fulget nitide in *Testamine dulcis*,  
Mansuetus, mitis, maximo amore flagrans:  
IPSE theologiâ monstratur prædictus altis  
Dotibus immensis, muneribusque potens:  
IPSE in sublimi discrimine *Trinus*, et *Unus*  
Splendidus apparet. Mystica docta Schola  
HUNC videt in mentis centro interiore latentem.  
IPSE, suæ *Sponsæ*, valde fidelis, amans,  
Ejusque sspectans adventum *nocte sub atrâ*;  
PANIS ut *Angelicus*, dives amore, datur,  
Atque Sacerdotis dextrâ impertitur abunde,  
Ut nobis vitam donet, et altor alat.  
Sic per magnifica imprimis mysteria Amoris,  
Cœlite cum Summo nobile plasma coit.  
Hæc elementa harmonica, et distincta perennè,  
Quæ exsistunt junctim, se penetrantque simul,  
In nihilo tantum graphicè splendescere credo,  
Quantum in magnificis actibus Historia  
Clarisque exemplis *Medii* produxerat *Ævi*,  
Sanctâ præcipue traditione datâ,  
Quæ circa eximios Monachos, qui in Monte Casini  
Tantas virtutes exhibuere, nitet.  
Ordinis immensi fulgent cunabula ibidem,  
Multi ubi prælustres eminuere Viri,

Queis nimis incultos licuit proscindere campos,  
Cunctamque Europam reddere politicam.  
Illius Claustrī sacro sub tegmine quondam  
Regalis soboles inclyta Teutoniæ,  
Normannæque Nepos gentis Regumque, Ducumque,  
Qui fortes Siculos perdomuere diū;  
Candidus ille puer, Thomas, qui posteà AQUINI  
Sol dicendus erat, teste cohorte piâ,  
Quæ almo cum puerō ludens, persæpè studebat,  
Istam proposuit lucificare thesim:  
      *Quid Deus est....?*  
.....Divi idea exaltata apud omnes  
In cultâ Europâ Christicola, atque piâ,  
Taliter intima erat, vel sic crescebat abundè,  
Ut, basis, in totis luxerit ordinibus.  
Ordine morali, sociali, relligioso,  
Sensu in multiplici notio clara Dei  
Doctorum mentes, animosque vigore replebat.  
Illa idea Dei, lucida, aperta nimis,  
Non unquam subter mysteria pressa latebat,  
Abdita nec sacris ritibus ipsa fuit.  
Non in *esotericis* doctrinis nupta manebat,  
Hanc neque velabant signa hieroglifica;  
Non in simbolicis secretis, aut cabalistis,  
Occulta extiterat; lumine sed nitidi  
Solis, et in facie puerorum, mente serenâ,  
Cùm puer ipse tener, vixque decennis erat,  
Angelus hanc fusè expandebat duxque Scholarum:  
Argumenta tamen, ducta ab eo puerō,  
Sæcula post septem criticæ, subsistere pollet.  
Per quantum spatii ¡heu! ire necesse fuit,  
Ut tot gratuitæ hypotheses edantur apertè,  
Quandò ferè absurdis jus datur immeritò,  
Et tamquam strictè formalia vera tenentur,  
Pravè usurpato nomine sic sophiæ,  
Vel disciplinæ, quam quidam turpè inhonorant.

Hæc malè jactantes dogmata falsa nimis:  
 «*Ideam Divi jamjam cecidisse per ævum,*  
*Nam solùm doctis utilitatis erit,*  
*In quantum vanas fabellas rejicientes,*  
*Sanè archeologi more studere velint.*»

Et certè; ut contra ideam Divi Omnipotentis,  
 Quidam tentarent *ultima tela* jaci,  
 Quæ infamis, clamans, *Naquetius* (1) ipse petebat,  
 Blasphemas voces impio ab ore vomens;  
 Ut *bello illato* in Divum, citò lemma nefandum,  
 Ad latrocinium, cosmopolita petat;  
 Denique, ut intendant nequam ad deliria adire  
 Pravæ *atheocratiæ*, quæ ore furente Deum  
 Odit, et execrat Satanæ molimine tetro;  
 Omnia ut hæc fierent, fortè necessè fuit,  
 Ut super innumera insultarent.... de quibus ista  
 Non momenta favent, hic ut et ipse loquar.  
 At si idea Dei primis incursibus atris  
 Conculcata fuit, protinus ipsa manu,  
 Per cursum reliquum, prædones non semel egit,  
 Ut, licet inviti, vim super insiliant,  
 Quæ omnibus humanis imponit maxima fræna,  
 Cùm minùs, interdùm, noscitur et LOGICA.  
 Saxonie hæc similis vetulæ, quam Iwanhœ cantat,  
 Quæ normannorum victima, flebat inops;  
 Ac non aufugiens, tot vitatura pericla,  
 Quominus et vitam funderet ipsa volens,  
 Porrò manere suis jam cum tortoribus ausa,  
 Infames actus devorat atque silet.  
 At vetus exhaustas vires reparare videtur,  
 Atque manum tremulam vi rabieque parat  
 Crimina ad horrenda, ut mensurâ jam cumulatâ  
 Sordibus et noxis, ultio magna flagret;  
 Et flammis pereat latebra et secessus eorum....

(1) Naquet.

Dùm penès, ac inter rudera fumigera,  
 Cuspide in elata turris, jam pænè labantis,  
 Sævæ vindictæ clareat effigies,  
 Cantica terribilis lætè cantando triumphi.

—Porrò (metaphysicè et ritè loquendo simul),  
 Falsa philosophia, ac hodierno tempore reptans,  
 Quatenùs antiquæ Christiadum propriæ  
 Strictiùs objicitur, jam nunc invita, vel aegrè  
 Argumenta edit postuma percelebris  
 Atque gigantei syllogismi, memorandi,  
 Qui, ut magnus Præsul hispaliensis ait,  
 Nempè *negativæ* processum amplectitur omnem  
*Doctrinæ* sœclis traditæ in hisce tribus.

His argumentis præfata scientia falsa  
 Cogitur, ut quandò perneget ipsa Deum,  
 Vel si impossibilem saltem concedere tentet,  
 Se quoque continuò destruat atque neget.

—Pura *metaphysicè* si est verè abstractio Divus;  
 Si extra vim nullus, *materiamque* datur;  
 Porrò *philosophiam*, luctando, *SCIENTIA* vincet  
*Experimentalis*: dura *magistra*, fera,  
 Quæ cùm dimittat verè inciviliter illam,  
 Non secùs ac gessit rejiciendo Deum,  
 Tot pro servitiis grates non egit eidem,  
 Sed potiùs vexans irreverenter eam,  
 Projicit ad sordes tritis cum mercibus, atque  
 Quominùs ex justo nomina sacra colat  
 Thomæ, et Aristotelis, scitique, gravisque Platonis,  
 Propulsâ humanâ tûm *ratione* obiter,  
 Quam modò dicebant recolendam cœlitus esse....

Nunc verò ut *cerebri res vitiosa* et inops,  
 Quatenùs appetet *secretio*, *bilis* adinstar,  
 Sive *salivarum*, cassaque res, et iners;  
 Quæ cùm solvendi problemata magna sit impos,  
*Affirmare* nequit, nilque *negare* sapit;  
 Nomine pomposo *POSITIVA SCIENTIA* tandem

Dicitur....; at citius putre cadaver erit!  
Ast dum catholicæ disciplinæ organa mira  
    Unico in intenso tanta nitente foco  
Humanæ jungunt rationis fulgura cœli  
    Fulgente et nitidâ cum RATIONE Dei,  
Tunc DOCTRINARUM accendebant cuspide in altâ  
    Lumen DOCTRINÆ, quæ aspicit ipsa Deum.  
Et dum christicolæ genii persæpè gigantes,  
    In quibus obscuri multi operarii erant  
Claustrorum, qui etiam memorandi cuncta per æva,  
    Cyclopum scalpro, perpetè more SCHOLÆ  
Ingentem statuam NATURÆ porrò SUPERNÆ  
    Conflabant fortes ictibus assiduis,  
Quam sinu ab informi physicæ existentiæ in altum  
    Surgere cogebant astra super rutila;  
Sic poliendo petram, vel quidquid signa figuræ  
    Fortè obscurabat; dum parilique modo  
Luce refulgentis solis, vel lumine pleno  
    Quod tota irradiat Summa Theologica;  
Splendida crescebat Divi spectabilis UMBRA,  
    Tamquam Christiadum mens meditatur Eum.  
Si, actu dum posito, quem tractat Areopagita,  
    Porrò Dei sensum, notitiamque dabat  
Non ferè totalem, nec plenam (quatenus istud,  
    Cùm de *infinito noscibili* agitur,  
Verè impossibile humanis est viribus arctis)  
    Nempe *relativam*, quam vel *analogicè*  
Mortales miseri de Divo quimus habere,  
    Donec in æthereis sedibus eniteat,  
Vel facie ad faciem per *lumen gloriæ* in ævum  
    Tunc nobis liceat cernere ovanter Eum.  
Denique dum nobis ex sanctâ sœpè *penumbra*  
    Delubri, in verbis, parabolisque sacris  
Pura notescebat Divina ESSENTIA, fixa,  
    Et nixa imprimis ASEITATE suâ,  
Quæ ipsam constituit *proprio purissimo* in *Ente*,

*Primori, æterno, simplice, magnifico,  
Perfecto, summo, verè et sublimiter uno,*  
Quod lingua humana haud ulla referre valet;  
*Tunc quoque philosophi incompleti, lumine cassi,*  
Qui, solis nitidos ne aspiciant radios,  
*Perstringunt oculos, aviumque crepusculi adinstar,*  
Ocœyūs adduntur; cordeve, vique carent,  
Ut se projiciant, pulsā formidine in oreum,  
Sivè tenebrarum tristè petantque locum,  
Limina pandentes, tamquam *Cartesius* audax,  
*Æterno dubio, ac exitio logicæ,*  
Totâ in doctrinâ subvertens ordinis omnem  
Moralis sensum, tam peregrina docens  
De Omnipotente Deo, *naturâ et conditione*  
*Æterni Veri;* tum quoque cùm loquitur  
Emphasis eloquiis rerum de essentiâ eadem,  
Quocum tentabat magna docere Sophos  
Illustrē *Solem Doctorum*, lumine plenum,  
Ac hypponensem porrò supremam *Aquilam*,  
Se sinu in exiguo claudens, strictique *deismi*,  
Tamquam philosophi, quos memorare pudet. (1)  
Hi ferè congaudent, sibimet si suppetat ipsis  
Incompleta Dei notio, deficiens;  
Sic, ut Eum reputent cum lumine semisopitum,  
Quippe sibi soli providet atque studet,  
Entibus omnino spretis, cunctisque creatis,  
Quatenūs humanis vitricus esse velit;  
Aut forsàm recidunt manichæorum in *ditetheismum*,  
Vel malè descendunt turbine præcipiti  
Usque ad apologiam turpati *politheismi*,  
Qui *Encyclopedistis* resque, scopusque fuit.  
Serò erat omnino tanta ad reparanda reapsè:  
Scandere quapropter sidera ad ætherea,  
Nempè necessè erat, aut potiùs descendere ad ima:

(1) Voltaire y Rousseau.

Sistere nequaquam. Maximus aut minimus  
Divus erat, cœlum quo tunc decorare volebant  
*Encyclopedistæ;* tempore fatifero,  
Quod pridem cunctus pavidiè præsenserat orbis,  
Quoque tot extremæ sunt datæ ubique theses;  
Cūm jam divisum stadium ad certamina habebant  
Definitivè sol et arena suum,  
Certè inter NIHILUM, lectum pro divo *Atheistis*,  
Inter et Ens a se, qui omnia luce replet,  
Et sacro ex nostro peramanter Stipite pendet,  
Ut cunctos homines attrahat ipse sibi.  
Vertice in infausti, pavidique hujusce diei  
Versamur, Patres; jam sine pace sumus.  
Hoc in *diluvio generali*, tristè minaci,  
Et super horrentes impietatis aquas,  
Perfida ubi turba, atque ferox et sceptica regnat,  
Unicus exsurgit maximus ecce DEUS.  
Nempè Deus magnus, qui, quando cuncta crearat,  
Ipse super tenebras fulxerat, atque chaon:  
Qui super ingentes tumidasque nataverat undas,  
Quæ vel abyssum omnem funditus obruerant.  
Qui quoquè Diluvii, quem narrant Biblia, liber  
Fluctibus evassit clausus in Arce Noë;  
Quique Petri ex cymbâ placat, sedatque procellas...  
Cæteri in undisono vortice dispereunt.  
Error porrò suas cogens ad prælia vires,  
Definitivam verè aciemque movens,  
ERROREM circùm, cuius PAN maximus extat  
Objectum primum, convocat et geminas  
Ingentes partes, sectantes castra MONISMU:  
Nempè *idealem*, quatenus ipsa MONON  
Ideæ sequitur PANTHEISMI porrò nefandi;  
Atque MONISMU aliás, materiaeque simul  
COSMICÆ, et imprimis *positivæ* convocat audax  
Robora, ut aptentur prælia inire cito.  
Materia, ac idea manent virtute in eādem,

Visque pari in gremio; quod nimis est stolidum.  
Res vacua omnino, res verè inconscia, vilis,  
Munia præsumit sancta, locumque Dei.  
Pyramis hæc thesum, quas pessima mens meditatur  
Horrore ac odio crescit, et invidiā  
Erga Ens et vitam, cultūs specieque sacrata,  
*Cosmico* in excidio, morteque propositā,  
Nempè *creatrixi Naturæ* ut sic sit adepta  
Quæsitum finem; nempè NIHIL, tenebras.  
Hic, et non aliis, Domini, est Deus impos, inersque  
Cujus perfalsâ conditione, statim  
Demonstrare thesim cogor, licet esse necessè  
Hoc minimè appetet; nam prout auctor ait,  
Siquando fuerit verum male rejiciendum,  
Id turpare priùs fortè necesse foret;  
Errorem verò si quis fortasse refutet,  
Sufficit exponi, ut quisque repellat eum.  
Iste *deus*, nobis quem hodierna SCIENTIA præbet,  
Nescio an opprobrio, vel potiusne piè,  
Promissum renovat fallax, quo plasmata quondam  
Decepit serpens: «*Quibitis esse DII*».  
Hoc NIHIL in gremio jamjam completur inertis,  
Quo suffocantur *divus* homoque simul.  
Cùm *deus* iste altum deberet munus habere,  
Omnibus omnino dotibus ipse caret.  
Attamen in se aliàs jungit totaliter ESSE,  
Et non esse simul, quæ entibus herclè nefas.  
Tùm nobis aliàs manifestat se fore tandem,  
Vel se esse *in fieri*. Denique præterea,  
Lege metaphysicâ, se pernegat esse capacem  
Verè existendi: scilicet iste *deus*,  
*Spiritus absurdus, substantia mobilis*, impar,  
Ens, emanare ex ente priore quiens;  
*Idea* incerta, et quæ evolvitur, atque vacillat;  
*Materia* et formis pluribus apta nimis;  
*Vis*, quæ continuò distenditur, ac operatur;

Iste, inquam, *divus*. quilibet ipse sonet,  
Sive *categoría idealis* ritè notetur;  
Maxima *vis mundi*, quæ immanet ipsa sibi;  
Seu quædam *VIRTUS* inconscia, sivè *voluntas*,  
Sivè idea merè, sensibilisque quoque  
Natura, aut aliàs ferè qomodocumque vocetur,  
Quid nisi commentum, sivè *NEGATIO* erit?  
Absque metaphysicā re, pura *ABSTRACTIO* tantùm;  
Omninò sensūs vox vacuata boni.  
Denique erit mendum, ut præfata *NEGATIO* vilis.  
Et pejor prorsùs fiat ob *hypocrisim*,  
Æterni *Protei* nova transformatio forsám;  
Sanè orientalis pervetus effigies  
Pantheismi effossi; contradictoria semper  
UNIUS (1) ratio, dissona menti hominum,  
Cunctas res cogens solà substantiâ in unâ;  
Ingentem rerum, viscere de proprio,  
Provida deducens, et perpes aranea telam,  
Denuò ut ex *Vedis* sorbeat ipsa modo.  
«*Omnia sunt unum, ac unum sunt omnia*», ut ajunt  
Prisci eleates carmine penè pari;  
MENS *forma informans mundi*, lex stoica dicit;  
ENS non dependens entibus ex aliis (2);  
ENS UNUM, sensu quo Neoplatonici abundant;  
MENS UNA, ac eadem, scripsit ut auctor arabs (3);  
*Lucis fons primæ, aeternæ*, quem Kabala monstrat;  
«*Cuncta creatura ac ipse creator idem*» (4)  
*Naturans natura*, prout Scotus inquit hibernus;  
*Primaque materies* ritè sacrata Deo (5),  
Ut cum *Dynante*, et blasphemat apostata Bruno (6).  
Verè *infinita*, ac *unica*, et absque pari;  
Quam Spinosa athenus tradit *substantia* summa:  
ETWAS NOUMENICON, quod sibi in opprobrium

---

(1) La Unidad. (2) Lo ABSOLUTO. (3) Averroes. (4) Amaury de Chartres. (5) La materia divinizada. (6) Giordano,

Kantius exposuit pravè molimine vano;  
Ille «EGO», quem Fichte, ac *autotheismus* habent;  
IDEA--ENS pariter, quod prompsit Hegelius audax;  
Primus, et omnino postumus ESSE gradus,  
Quem SYNCRETISMI tradit sistema hodiernum (1)  
UNIO, (2) quæ harmonia, ac ordine plena nitet,  
Ac *socialismo harmonico* respondet, ut ajunt  
Plures hæretici, pseudoque philosophi (3);  
*Finita, infinita simul substantia*, demum  
Quam ferè *Lammenius* prodidit ore malo.  
INFINITUM igitur, quod Kraussius hisce diebus  
Prædicat, et quidquid suggesterit ipse Satan;  
Scilicet *absurdum*, vel contradictio perpes,  
Aeternum mendum, perpetuusque dolus,  
Et læsæ crimen Deitatis, pessimus error,  
Qui e EMANATISMI progrediendo sinu,  
Ad rem sensibilem, et mox IDEALIA scandens,  
Se chlamyde expoliat, pacificaque togā;  
Postmodo se priscis denudat vestibus amplis,  
Quas longā in serie temporis induerat,  
Ut præstans hodie, magnorum more sophorum,  
Splendidā et ornatā veste nitere queat.  
Nunc super ampullas, quibus alta scientia gaudet  
Experimentalis, sæpè sedere viri  
Suescunt, qui sese *sapientum* nomine dotant,  
Quique usurpantes omnia quæ inveniunt,  
Vel sua turpantes conatu themata pravo,  
De physicā scandunt usque metaphysicam;  
Et quasi evangelium nobis se ostendere jactant,  
Quando ex excelsa, sidereoque loco

(1) Cousin.

(2) *Unio* significa aquí la Unidad, porque la palabra *unitas* no tiene cabida en estos metros, por no ser componente de dáctilo ni respondeo.

(3) Saint Simon, de Fourier y de Leroux.

*Magni despectus*, transcendentalis et alti,  
 Nobis nituntur promere mille modis  
 Sæpiùs effossi PANOS vel putre cadaver;  
 Nam de invisibili párticulâque vagâ  
 Incipiendo semel, non notâ voce MONERA,  
 Quæ latè et longè tenditur atque patet  
 Taliter, ut cœlos videatur humumque replere  
 Omni re, quæ aliter non Deus esse queat.  
 Nos autem, Domini, fateamur non sînè pœnâ:  
 Magnum discrimen tristè notare licet  
 Processus inter pantheismi, primitùs acti,  
 Inter et, imprimis, hæresis acta novæ.  
 Tempore in antiquo, pantheismi relligiosi,  
 Cùm fuit extinctum lumen in orbe prius, (1)  
 Corpore in exiguo prostratæ stirpis Adami  
 Principium cuncti tunc tenuere suum;  
 Tùm quia et attoniti orbis majestate stupebant,  
 Non secùs ac summâ conditione Dei.  
 Haec erat idcirco pantheismi formula prisca:  
 «*Totius mundi mens, animusque Deus*».  
 Nunc athei e contra *pantheismi* mundi hodierni,  
 Post quindena statûs sæcula christiadum,  
 Termino ab opposito motum desumere certant:  
 Scilicet ideâ ex paupere Divi habitâ,  
 Sivè scientifico dominatu materiali,  
 Aut verè ex hominum sorte tumente nimis.  
 Haec ideò est hodiè *pantheismi* formula stulta:  
 «*Divus homo in mundo*». [Quanta superba phrasis!  
 Nonnulla apparens prisca in systemate fulxit  
*Majestas, quâ hodiè* non nitet atra schola.  
 Naturæ ignarus, vel originis inscius altæ  
 Atque sui finis, nudus inopsque jacens,  
 Tunc homo, Naturæ jam magnalia noscens,

---

(1) «*Lumen prius*», la revelación primitiva. «*Revelatio primitiva*» son palabras que no entran en estos metros.

Mirè cernebat cuncta creata bona.  
Mundum tunc corpus Deitatis credit esse,  
Lumine quæ solis conspiciebat eum,  
Tamquam pupillâ Titanis fulgure plenâ;  
Quæ respirabat turbine flante gravi,  
Et magno tonitru faciebat mystica verba;  
Montes ignivomi, fumigerique simul,  
Qui ad cœlum turres mittunt, ignisque columnas,  
Ipsi terrorem fortiter incutiunt;  
Terra, sua excutiens trepidè fundamina magna;  
Tùm mare rugitus horrisonos jaciens;  
Deniquè cuncta hominem quandoque pavore replebant  
Ante iram Divi, qui minitatur eum.  
Tùm flores et aves, utcumque coloribus almis,  
Musicâ, aromatibus, deliciisque bonis,  
Aëra complentes et campos, arvaque amœna,  
Quæ urbibus et pagis gaudia summa ferunt;  
Aura, superficiem quæ puram crispata aquarum,  
Atque lacus lœtos coeruleosque movet;  
Tùm gyri harmonici, quos cœli sidera monstrant,  
Quique Dei humanis aurea sceptra monent,  
Jubila reddebat animis, pacemque cupitam,  
Fervida dûm licuit vota sacrare Deo.  
Nunc tamen, oh Patres, homo vere ignobilis, effrons,  
Qui propè cisque Crucem nascitur, ejus ope,  
In mediâ Europâ vivens civiliter amplè....  
Veri *progressus* nomine dictus *homo*,  
Qui terram domuit diro famulatu et iniquo;  
Qui fulmen præceps retibus arripuit  
Ut scintilla ejus per funes nuntia velox  
Echon transferret vocis ubique suæ;  
Qui microscopio investigat cuncta minuta,  
Atque telescopio perspicit astra benè;  
Qui montes transfert, et ponti lustrat abyssos,  
Et frænat ventos.... ¡ipse negando Deum!  
Auctorem vitæ, qui humana in mente nitentem

Accedit lucem, ut tristè protervus homo  
Se *divum* credat, quamvis se *simii* in orbe  
Claram progeniem dejeret esse quoquè;  
Et quamvis brutis avidè se æquare cupiscat,  
Vel declaretur ostreæ ut ipse nepos.  
Id, domini, poterit *libertas* (1) summa vocari,  
Summum *jas* hominis; talia jura tamen  
Non nisi stultitiae, seu dura *abjectio* fient;  
Non nisi sarcasmus fortè perosus erunt.  
Non Deus est verè qui donis indiget altis,  
Sed *res* quæ cunctis dotibus ipsa caret:  
*Ens* imperfectum, deliria tota recondens,  
Numinis usurpans nomen, et acta Dei.  
Nunc autem verum si nos perpendimus omne,  
Quæ *divi* species, Cœtus amande, foret  
Is, qui non posset certè *immutabilis* esse,  
Sed *corruptibilis*? Quis *deus* iste foret  
Non *infinitus*, sed sic *finitus*, et impar,  
Ut neque perfectus magnopere esse queat,  
Nec summè sanctus, neque liber, sed malus esset  
Naturā ex propriâ? Quis *deus* iste foret,  
De quo affirmari nullum possetque negari?  
At si a re physicâ longius ire licet,  
Et sanè ideam, aut speciem meditabimur altè,  
Quis *deus* est, inquam futilis atque vagus,  
De quo auctor nequam, simulans virtutis amorem,  
Asserit *hunc* homines mente creare suā,  
Quandò ipsam subeat Divi phantastica imago?  
Quis *deus* est, cuius gloria tota manet  
In mente humanâ, tantùm dùm cogitat Ipsum?  
Cujus et altus honor, pérpetuumque decus  
Solum simplicium servantur in utilitatem,  
Impius ut scriptor, jam memoratus, ait?  
Iste procax atheus certò affirmare videtur

(1) Emancipación.

Nempè *philosophiam* jam magis atque magis  
Inque dies melius *dicturam* quid teneatur.  
Jam nolis: *vocis* denique *flatus* iners,  
Elatus, tamquam quem prisci habuere sophistæ (1)  
Usque *entis* physici pænè categoriam;  
Viliter aut *mendum* latum *deitatis* ad aras.  
Nùm, Patres, vultis, noscere jam penitus  
Unde *deus* talis veniat? Jam noscitis herclè.  
Exaudite tamen sic blaterare *sophos*:  
Humani *cerebri secretio* porrigit ipsum.  
Paupere de cerebro, materiâque venit  
Ex vi *dynamiae*....! ¿Numquid quoquè scire velitis  
Quomodo prima fuit condita materia?  
Expectate parùm. Qui nunc miracula pellunt,  
Cunctaque rejiciunt signa superna Dei,  
Seclorum, dicunt, mirè virtute coactâ, (2)  
Materiam factam spontè fuisse suâ.  
Millia sæclorum ad summam reddite certè,  
In quibus haud unquam condita res fuerat;  
Non secùs hæc fierent, ac si quoquè millia mille  
Ad summam *ceros* cogere quisque volet,  
Ut pro totali inveniat specialiter UNUM.  
*Unum* verò istud, parvaque particula,  
Quæ accumulata fuit *nihilo* persæpè coacto,  
¿Quomodo mota fecit? Nonnè quiete quiit  
Sistere tranquillè, atque suæ vertiginis expers,  
Et *transformismi* libera? At aspicite:  
«Primò *particula* haud *homogenea* fortè manebat....»  
¡Ah! si aliàs forsam *particula* ista foret,  
Oh Deus, oh tellus, oh stirps humana, stupete!  
Indivisibili tristè *monera* in eâ  
Nos essemus adhuc; sed non *homogenea* faustè  
Tunc erat, ac ideo.... rumpitur alma quies.

(1) Los nominalistas.

(2) Con la aglutinación de los siglos.

(Prosequor in nostram deliria vertere linguam).

«Mox atomū pupugit fortis aculeolus,  
Atque statim fuit *æquamentum ritè solutum*,

Quo totus mundus conditus ipse fuit.»

Nugarum verò aspernabilis auctor earum

Ille est, quem titulat stulta caterva *sophum*.  
Ipse scholæ criticæ coryphaeus et est hodiernæ,

Qui hos per processus, tam seriosque modos,  
Nondum contentus pellendo ex aethere Divum,

Dum factis verbis thura sacrabat Ei,

Usque Crucis sanctæ propè brachia duriter ursit;

Ac Judæ renovans oscula foeda nimis,

Dùm dirà hypocrisi Jesu exaltabat honorem,

Tricenis nummis vendidit ater Eum,

Millibus aut potius triginta permalè partis

Ex falsæ pretio non merito historiæ.

Ah! si de rebus tam sanctis non ageretur,

Hisce *sophis* verè præmia danda forent,

Quatenus et nugis sic delectamur eorum;

Ats hi de Europâ pellere dogma volunt...!

Porrò sibi hic SAPIENS *sophia* jam munera præstat,

Ac ait ex cathedrâ: «*Non Deus est equidem*».

Inde magistratus stupefactus lemma nefandum

Perlegit, et addit: «*Sed neque justitia*».

Hæ voces resonant quoque delinquentis in aure,

Et dicit: «*nullum crimen in orbe datur*».

Filius attentè exaudit lethalia verba,

Et dicit: *Virtus vox nimis est vacua*».

Postmodo tale nefas indoctus subditus audit,

Atque potestatem terque, quaterque negat.

Tunc *debellator*, durà ambitione laborans,

Barbara contemplans corde profata suo,

Exclamat dicens: «*Romā potiamur*, et indè

Papam trudentes, ejiciamus eum.

Et cùm descendit turpis doctrina deorsùm,

Pauperiesque animos fortiter exacuit,

Vel pravos facit instinctus utecumque rebelles,  
Tunc quoquè principium transit in acta mala,  
Atque furore gravi blasphemia pullulat atrox,  
Perque domos resonat, compita, perque vias.  
Tunc fera consurgit *revolutio materialis*;  
Per calles fervens currit abſtindē crux,  
Ac inter strepitum, armorum teturumque fragorem  
Hos ferē clamores impia turba jacit:  
»Nil jam de Divo placet exaudire loquentes,  
»Nec de aeternali sorte beatificā:  
»Talia condemnat supraemā scientia strictē,  
»Cunctaque philosophi somnia, menda putant.  
»Nolumus hæc. Nihilum petimus formidine pulsā;  
»Infernū cupimus dummodō cuncta priūs  
»Materiæ veniant bona delectamine plena.»  
Attamen, oh Patres, gædificare *sophum*  
Tristia nūm poterunt spectacula tanta nefasta,  
Cùm tam ridiculis artibus ipse Deum  
Perneget, et fusè lethalia semina plantet?  
Nequaquam verè. Cùm catapulta fera  
Tela super turbas truculenta, et densa vomebat  
Dùm turbæ insontes crimina non alia  
Patrare audebant, logicum nisi tangere finem,  
Cujus præmissas fuderat antè SOPHUS  
Mercede et præmio conductus per Coryphaeos,  
Ut cieret turbas, atque doceret eas;  
Tunc Sophus intereā, telorum robore fretus,  
Securusque suis innumeris opibus  
Ex prælo eductis, *atheismi* gesta fovebat,  
Dùm lætis oculis aspiciebat opus  
Verè enorme suum; vel sævus hypochrita templum  
Desertum cernens, vel temerante manu  
Disruptum, tamqam delirante ore prophetans,  
Sic exclamabat: «*Fana sacrata citò*  
*Diruta pénè cadent jam materialia Jesu:*  
*Templa Cruore Ejus nobilitata ruent*.»

Tegmine contracto, penetrat jam cœlicus imber,  
Qui orantis proni duriter ora quatit.  
Stulte sophista nefas! minime dignoscere pollet,  
Destructis aris, ædibus atque sacris,  
Vacillaturam terram fundamine ab imo,  
Ac ignem cœli, dummodè ab Arce Dei  
Non abeat fulmen, casurum, non super aras,  
Sed super elatum, magnificumque thronum,  
Et quoquè justitiæ super altam fortè bilancem,  
Et super ingéntes denique ditis opes,  
Atque super sacros venturum porrò penates,  
Atque super cathedram quam tenet ipse *Sophus*,  
Inter et exitium *sophiæ*, crudamque ruinam,  
Ac horum, qui ausi tristè negare Deum,  
Magnus perstridet Divi iratusque cachinnus. (1)  
Non aliter Ninive corruit, atque Babel;  
Non aliter Babilon cecidit prostrata superba;  
Urbs vastata fuit sic deicida ferè;  
Sic fuit immersa horrisonis Atlantis in undis.  
Sic exusta fuit maxima Lutetia,  
Quam nostris oculis coryphæi diri *atheismi*  
Sparserunt oleo, ut cresceret inde focus.  
Hic autem, credo, motus qui hunc impulit amplum  
Supremum Cœtum, ut clariùs eligeret,  
Ex plerisque, thesim, quam nunc evolvere conor.  
Nam si hic Conventus verè operaे pretium  
Dicit, quod mundo memoretur summa potestas  
Romani Papæ, quippè necessè nimis,  
Nulla foret potior, quam horrens occasio præsens,  
Quam nobis offert antitheismus atrox.  
Passibus in primis, quos Papa subire coactus  
Tristè Crucis lustrans sæpè dolore viam,  
Ictibus oppressus, quos nunc *Revolutio* jactat  
Non modò Pontifici, sed quoque justitiæ,

---

(1) Dominus irridebit eos.

Perpetuisque simul Papatūs juri et honori,  
Ut Romā pulsum, dirè inhonoret eum,  
Jam clamor pavidus cuncto surrexit in orbe  
Inter credentes, quos malè secta trahit,  
Cùm tantum spolium, proprio sine crimine, damnant.  
— Tunc multæ insculptæ sunt nitidæque phrases,  
Verbaque, quæ gentes, sublimia, commemorabunt,  
Quæs jus, libertas, Relligioque sacra  
Tecta manent contra violantes jura superna;  
Testibus eximiis, magnificisque viris,  
Qui nimis unanimes Papatūs jura tegebant.  
Fulget in his Odilon, vir benè conspicuus,  
Qui binos dicit dominatus esse necessè  
Servari Romæ, pacis in auxilium,  
Ut sint sejuncti cuncto constanter in orbe.  
Testes sunt aliàs qui probitate cluent,  
In queis præfulgent utcumque *Thierrius amplius*,  
*Guizotiusque* simul, qui eloquii nitidis  
Jugiter imperium poscebant Pontificatūs;  
Atque in doctrinæ nomine veridicæ,  
Sivè philosophiæ reverâ spiritualis, (1)  
*Cousini* ex labris, gallici et herclè sophi,  
Vox resonare quit cathedrâ de magnificatâ,  
Qui Papæ duplex dominium petiit,  
Nomine in æternæ sophiæ, quæ in voce reclamat  
Ut quisque affirmet firmiter esse Deum.  
«*Jure philosophia*, ut scribit celeberrimus auctor, (2)  
Materialista, ac impia, seu athea,  
Æquo animo poterit tolerare, aut plaudere certè,  
Si nunc Pontificis debilitata forent  
*Fræna potestatis*, vel vincula fracta supersint;  
Namquæ opus est minimè munere Pontificis,  
Ut mundum possint omnino docere sophistæ  
Productum quidquam corporis esse animam;

(1) Espiritualista. (2) Victor Cousin.

*Aut nullum, præter mundum, Divum esse colendum.  
Spiritualis enim pene philosophia,  
Si minus a nebuis foret exsecata superbis,  
Recte scire potest, in genere omni hominum,  
SPIRITUALISMUM dumtaxat habere sequaces  
Inter christicolas, quos benè Papa regit.  
Unde Patrem Sanctum, morum columenque, ducemque,  
Atque intellectus ordine in in numero  
Esse patet. Quare mihi porrò necesse videtur  
Omnibus humanis esse Patrem validum,  
Qui extero ab imperio nullatenus esse subactus,  
Posit sed munus liber in orbe gerat.»  
Jam, Domini, auditis; vinclum, quo nectitur ista  
Nostra thesis strictè munere cum amplifico  
Immunis Papæ, est, nullo discrimine, id ipsum  
Quod Papæ imperium, sceptræ ligatque Dei.  
Quippè, prout dicit laudatus gallicus auctor,  
Sanctus ut ætherea regnet in Æde Deus,  
Judicio ex hominum generali, est hercùs necessum  
Urbis ut in solio munia Papa gerat.  
—Cernere jam poterunt qui me illusere malignè,  
Cùm primò assumpsi thema quod ipse lego,  
Me, non more aquilæ, cepisse, ut longius irem  
A tempestate, et nubila sic fugerem,  
Sed posuisse super nubes in vertice nigro,  
Fulgura ubi aspicerem liberè et absque metu,  
Et propè Titanis discum, cum luce serenâ,  
Ac umbram densam terribilemque quoquè,  
Quam super Europam nubes nunc projicit atra  
Quæ Vaticanum jam minitatur atrox.  
Cœtibus ipse atheis qui adstans certaminis ergo,  
Ac in Comitiis sæpius ipse sedens  
Hostibus in mediis, paucis vel pluribus obstans,  
Non titubando, fidem fassus ubique fui;  
Me licet opprobrium tantum gratisque manebat,  
Postque feræ luctæ parta pericla mihi,*

Dumtaxat poteram paulùm discedere ut impos,  
Cùm telis minimè castra inimica forent  
Instrata, aut armis, sed floribus, atque lapillis,  
Custodita bonis, et validis ducibus  
Agminis hostilis, quorum gaudere triumphis  
Vel certè incursus plaudere munus erat.  
Immòque prætereà ¿cur non nunc omnia dicam?  
Ex illis egomet sum ferè qui ex animo  
Credunt non propriè Papam esse a Rege prehensum  
In Vaticanis ædibus atque focis:  
Non regno, aut italis in carcere Papa tenetur;  
Sed Regem, Regnum subjicit hydra (1) ferox:  
Ipseque Papa Leo quodammodo detinet illos.  
Nempè salutarem nunc reperire viam,  
Et servari Italus posset, si Pontificatum  
Non malè mulcaret, nec temeraret eum.  
Si modò Papatum non tamquam stigma teneret,  
Sed tamquam lumen, vel decus Italiæ,  
¡Quàm felix Italus, quàm verè prosperus esset!  
Attamen hydra feris morsibus angit eum;  
Imperat impietas, atheismus regnat ovanter,  
Exsiccans omnes prosperitatis aquas,  
Quosque tenet puros alma scientia fontes;  
Atque status cunctos inquinat hydra manu.  
Oh illustres Domini! Si Papa Vicarius amplius  
Divi non esset, certius esse nequit  
Jam pridèm Romam, dispendia tanta parantem,  
Hospitio duram, mortiferamque nimis,  
Esse suis propriis dominis de jure reversam,  
Qui tantùm bini perpetis Urbis erunt;  
Scilicet antiquæ Romæ sacræque ruinæ,  
Et Romæ æternus Papa, Monarcha, et Hernus.  
Denique, ut absolvam, domini, affirmare licebit  
Quod pia dumtaxat ecclæ Relligio,

(1) La Revolución.

Quæ Hæredis Christi divina oracula servat,  
Completam sophiam possidet ipsa Dei;  
Solaque habere potest sancti mysteria cultūs;  
Namque auri clavem sola canalis habet,  
Undè Dei rores descendant gratiæ abundè.  
Doctrina (1) abscedens Relligione Dei,  
Fortè peregrinum similat, qui lampada stinguens,  
Quæ sibi monstrabat nocte nigrante viam,  
Devius in mediis silvis, et tramite multo,  
Cæcus abyssorum concidit in puteum,  
Curvam sectando quam nuper projiciebat.  
Quod primò apparens debilis error erat  
Circa ontologicum tamtummodò thema, gradatim  
Fert ut blasphemæ quisque negando Deum;  
Et proclamentur mundi jam denique causæ  
Primæ et finales, quatenùs immaneant,  
Non transcendentes, sed inhærentes quoquè mundo;  
Et quasi fortassis omnia sint eadem,  
Prorsùs adoptentur contradictoria passim,  
Atque *novæ logiæ* dentur, ut alta basis,  
Absurdi leges. Error miserabilis, inquam,  
Qui veri aut entis destruit omne genus:  
Destruit imprimis rationem, cunctaque vera,  
Et solùm NIHILUM noscitat atque colit;  
Atque negando Deum Nihilum, utpote numen adorant,  
Entisque ex odio, vota ferunt Satanæ.

Hymnus terribilis nostras ¡heu! perforat aures,  
Quem pravæ (2) Italiae tristè poëta canit,  
Quemque atheismus atrox Satanæ jam consecrat, atque  
Diro offert hosti terribilique Dei.  
Altius est equidem istud proclamare necesse:  
Post vicena, hodiè, sæcla peracta ferè  
A Christo Domino, medio in splendore nitente

(1) La ciencia. (2) La Italia secularizada.

Edoctæ Europæ, tegmine subque Crucis,  
In placidoque sinu fecundi hujusce Planetæ,  
Sanctificati etiam nempe Cruore Dei;  
Italæ ex centroque, mari deductæ ab utroque,  
Utpote stylobates marmoris aut silicis,  
Quam super æternè Cathedra immutabilis extet,  
En surgit præceps, perfida vox athea,  
Quæ ex citharâ altisonâ tetri resonando poëtæ,  
Invocat et Satanam carmine terrifico:

»Salute, o Satana, (1)  
»o ribellione,  
»o forza vindice  
»della ragione!»

Si verò horrorem paulum frænare potestis,  
Ac audire licet plura nefanda magis,  
Nosketis Satanam, cantatum vate ab iniquo,  
Non nisi multiplices schismatis esse mali  
Actus infandos, et luctas in rationem,  
Et carnis bellum in spiritualem animam,  
Vel rixas hominis semper semperque superbi  
In Divum. Referunt fabula et historia  
Nempe Prometheo à tristi tunc incipiendo,  
Cui vultur jugis viscera dilacerat,  
Sicut et à priscis magnis Titanibus, usque  
Lutheri ad rabiem perfidiamque feram,  
Ac ad terrorem, quem trux *Conventio* fecit,  
Vel quem fert oculis diruta *Porta-Pia*.

»Sacri a te salgano  
»gl' incensi ei voti;  
»has vinto il Geova  
»dei Sacerdoti.»

Amplius audite infandum, si plura potestis;  
Pesimus hic *victor*, qui gladium ex manibus  
Abjicit excelsi Michaelis, fulmine rupto

(1) Himno á Satanás, compuesto por el impio Carducci.

In dextrâ Iehovah, non equidem est alius  
Quàm sejunctarum *Divus* quicunque scholarum  
Quæ verum renuunt pangere. ||Materia!!

»Nella materia,  
»che mai non dorme,  
»re dei fenomeni,  
»re delle forme,  
»*sol vive satana.*»

Materies, Satanæ cum nomine deificata!  
Hos cum clamores aure stupente mea  
Percipio, tamquam signum finale triumphi,  
Quem delirantes herclè canunt athei,  
    »Materia, inalzati,  
    »Satana he vinto!  
Cùm sanè meditor devinctum, nonnisi Divum  
    Magnum esse Israel, terribilemque simul,  
Sentio me forti correptum penè pavore,  
    Atque meo capiti verbera spero Dei.  
Cùm verò insignis pateat patientia Divi,  
    Quæ æternum donum Cœlitis esse probat,  
Protinus avertens oculos a vate maligno, (1)  
    Cœlica vatis (2) ego carmina respicio,  
Qui, fide et arte potens, nos delectamine summo  
    Replet, quandoquidem concinit ipse Deum.  
    «No hay más que un solo Dios. Él solo es grande;  
    Solo infinito, omnipotente solo.»

El premio envía y el azote blande.  
Todo lo oye y lo yé de polo á polo.»

«Dios solo es triunfador. Los que le niegan  
Con altivez blasfema, palidecen  
Cuando al umbral de su sepulcro llegan.

(1) Carducci.

(2) El espiritualista y eminente poeta D. José Zorrilla.

Los que en su ciencia ruín se ensobrecen  
 Y de Él se mofan, al morir le ruegan;  
 Por Él existen y por Él perecen.  
 No hay más que un solo Dios. Ante su nombre  
 ¿Qué es el orgullo y el saber del hombre?»  
 Nil verè. Ats hodiè fots clamore Poëtæ,  
 Et confortatus sœpè potente fide,  
 Elevo lætantes oculos ad culmina cœli,  
 Et sic exclamo: «Gloria summa Tibi  
 Est, Deus æterne, et nunc et per sæcula cuncta:  
 Tum celso in Sinai culmine magna fuit;  
 Tum quoque Thaboris fulgente in vertice luxit;  
 Ats alind poteras majus habere decus:  
 Nempè inimicorum stultum, cœcumque furorem.  
 — Quadam fortè die.... pristina cùm fuerat  
 Gens humana tuis a jussis planè aliena,  
 Atque e conspectu tota remota Tuo,  
 Conscia se in Cynico (1) prospexit significatam,  
 Qui Urbe in præclarâ lampada luciferum  
 Ipse manu portans, hominem quærebat ubique,  
 Quem tamen in Româ non reperire quiit.  
 Nam, quamvis mundus mirè gnarusque potensque  
 Tunc disciplinæ magnus et amplus erat;  
 Jam tunc exemplar dignorum penè virorum,  
 Virtutum speculum permalè perdiderat.  
 — Postmodò gentilis, judex horrendus et audax,  
 Qui «quid sit verum» quærere sollicitè  
 Curans, et lotis manibus jam perdere JUSTUM  
 Promptus erat, turbis protulit INNOCUUM;  
 Pergulâ et ex altâ, historiæque ex culmine dixit:  
 ECCE HOMO! Quo judex hercùle propheta fuit.  
 Deniquè Homo inventus verè Deus optimus extat!  
 Visis idolis, quæ sacrat atque tenet  
 Errans et fallax hodierna scientia, frustra

(1) Diógenes.

Viventem Divum mundus habere volet.  
Sic quondam Clemens, Ægypti fana revisens, (1)  
Ipse Sacerdotum cantibus attonitus,  
Aurea vela movens visurus dulcè figuram  
Cœlitis !hen! vidit reptile turpe nimis.  
Tunc exspes audit clamores impietatis,  
Quæ super idola et signa refracta, Deum  
Perstantem monstrat post tot, vel tanta negata;  
Ipsumque invitans excitat atque moyet,  
Eligat ut inter Divum dulcedine plenum,  
Ac inter sectæ crimina et invidiam;  
Inter et errores quos propalat ipse Sophista,  
Inter et excelsum, qui est super astra, Deum:  
Ac, ut Pilatus turbis adstantibus olim  
«**ECCE HOMO**» clamavit, nunc ait: **Ecce Deus,** »  
Hic Deus est Homo, quem quondam Pilatus iniquæ  
Mandavit turbæ ut plecteret Innocuum:  
Est et qui tensis brachiis ex arbore pendet  
Ut benè credentes elevet atque beet.

Idibus Junii 1889.



---

(1) Clemente de Alejandría.



# Ad Antonium.



Inter politicos, augusto nomine dignos,  
Qui magnos populos dexteritate regunt;  
Inter et eximios homines quos orbis honorat,  
Et meritò geniis æstimat esse pares,  
Tu, magne Antoni, excellis, velut arbuta cedrus,  
Et cunctos superas dotibus ipse viros.  
Verum miraclum te gentes esse fatentur,  
Et MONSTRI titulus jam tibi jure datur.  
. Et sanè es sophiæ perquam mirabile monstrum, (1)  
Cui cultum reddunt maximi in orbe sophi.  
Tu quoque es insignis verè historiographus amplius,  
Quem demiratur quisquis in orbe sapit.  
Tu in celo hispano quasi sol immobilis extas,  
Qui omnia fulgore, et cuncta, vigore reples.  
Natio ibera suum ductorem te veneratur;  
In te confidit patria si arcta gemit.  
Ad te confugerent clamores gentis iberæ,  
Publica si forsam rès lacerata foret.  
Nulla tibi imperii ambitio insatiabilis urget,  
Nec pectus pungit prava cupido tuum.  
Porrò vir es præstans, heros ætatis alius,  
Quem, demptâ invidiâ, diligit omnis homo.  
Pectore magnanimo polles, et mente supernâ,

---

(1) La palabra *monstrum* en su acepción más genuina significa maravilla, portento, prodigo.

Et genii dotes solus habere potes.  
Tu, vigilans aquila, insidens in vertice petræ,  
Prospicis Hesperiae quidquid habebit opus.  
Longe a politicâ, tamquam si fræna teneres,  
Procuras patriæ pacis abundè bona.  
Primus in império, et reverà magnus es extra;  
Ipse jubar patriæ, stellaque semper eris.  
Contra hostes regni vivis vigilanter ut Argus,  
Turpeque consilium detegis omne in eis.  
Sic hostes patriæ tibi sunt infensi inimici;  
Non nisi plebs sceleris est inimica tibi.  
At sanctum solium, quod nunc Rex occupat insons,  
Hostibus ambitur...! multa pericla subit...!  
Non erit infidus primas qui protegit ipsum;  
At minùs expertus & nonnè subire dolum  
A pravis poterit, qui falsa juvamina præstant?  
Oh magne Antoni! vir celebrande, veni:  
Fræna veni regere, et devita dedecus atrox;  
Namque hydra hispanum radere vult solium!  
Pergito, et ipse tuis virtutibus utere magnis,  
Ut sospes possit Cæsar abire puer.  
Cùmque thronum serves, decus et servabis iberum,  
Herclè tuum fiet nomen in æva cluens.

Kal. Sep. 1889.





# AD MARCHIONEM

## DE POZO-RUBIO.

---

Quando non pridem, florens juvenilibus annis,  
Altum Prætoris munus adeptus eras,  
Nonnulla in populo fuit admiratio oborta;  
Talis erat ætas, officiumque tuum!  
Postmodò cùm fueras assumptus, dives honore,  
Regis ad eximii lucida consilia,  
Tunc inter plures illa admiratio crevit,  
Et siluit populus Regis amore sui.  
Cùm tamen hispani te perspexere Ministrum,  
Qui supra ætatem tot documenta dabas;  
Ardua cùm toties problemata, rite soluta,  
Solers præbebas viribus ipse tuis,  
Te jam non juvenem reputabant æmuli, ut antè,  
Sed quasi proiectum te coluère virum.  
Tempore diffcili cùm publica res titubabat;  
Quando per Hesperiam repserat atra lues;  
Cùm decus hispanum tam dura pericla subibat,  
Hoc tibi tunc licuit salvificare piè.  
Maxima gesta extant, te primò fræna fereute,  
Quæ extollunt nomen sidera ad alta tuum.  
Nunc autem venias, oh Marchio, pace favente,  
Atque ministerium Regis amore geras.  
Per te justitia, et pariter pia gratia fiant;  
Fiat prima licet cœlica sphæra ruat.